RITVALE
BAIOCENS.











Ex Bibliotheca D.D. de Nesmond Episcopi Baio= censis



Olivier 1293 c26/Ba

306 aux armes de François de Nesmond évêque Bayeux 150F




[illegible]

[illegible]

MANUALE
RITUUM
ECCLESIASTICORUM
AD USUM ECCLESIÆ, ET DIŒCESIS BAJOCENSIS.

Authoritate Reverendissimi in CHRISTO *Patris, ac DD. FRANCISCI DE NESMOND, Episcopi Bajocensis, recognitum.*



CADOMI,
Apud JOANNEM CAVELIER, & JOANNEM POISSON, Diœcesis Typographos.

M. DC. LXXXVII.



FRANCISCUS DE NESMOND,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ gratiâ Bajocensis Episcopus Clero suo

Salutem & in Christo Benedictionem.



VM illud sit Pastoralis officii debitum, Fratres dilectissimi, cujus quantumvis conemur partes implere, debitores semper existimus: visum nobis est, ex quo tempore Divina Misericordia sacris nos admovit Bajocensis Ecclesiæ gubernaculis, ipsum crescere penè opus, quod prima quæque perficiendo, minui debuisset. Certa nimirum muneris nostri Lex est, eáque perpetua, ut quam Christi nomine sponsam duximus, eidemque uni despondimus Virginem, speciosiorem, quantum in nobis est, exhibeamus in dies & castiorem: nec proinde id nobis unquam licere arbitramur in tanto divinarum rerum & salutis æternæ ministerio constitutis, aut sistere, aut hæ-

rere; quasi eam, ad quam perpetua vitæ actione contendere debemus, attigerimus metam, & in ipsa jam via Patriam invenerimus. Progredi nos oportet semper & crescere, quamdiu vivimus, quamdiu peregrinamur à Domino. Atque ut hujus veritatis aliquatenus esse possimus, & præceptores simul, & testes, operam nostram Pastoralem lubentes impendimus in adornando Viatico, ritibus nimirum & ceremoniis Cœlestium Sacramentorum, quorum Disciplinam hoc in volumine multorum tamdiu votis expetito, ex venerabilis Capituli nostri consilio & tersiorem edi curavimus & auctiorem. Utinam, Fratres charissimi, hæc libri veteris nova forma non minùs vestris infigat mentibus, quo potissimùm animo, quâ prudentiâ, quo pietatis sensu dispensare oporteat fidelibus inexhaustum hunc Ecclesiæ thesaurum, quàm ritus ipsos, incessum & decentem tantis rebus perficiendis corporis habitum. Neque enim levem à vobis, sed & à nobis præsertim qui in Ecclesiæ speculis positi sumus, rationem exiget Deus, nisi ad instaurandam in administrandis tanti momenti Mysteriis disciplinam Ecclesiasticam seriò incumbamus. Utinam vel una huic operi subjecta materies in memoriam vestram reducat illam velut consanguinitatem, cujus disciplinam imprimis complectitur, quæ ex communi ad Deum oratione, divinæ Doctrinæ perceptione, & Sanguinis meritorumque Christi communicatione coalescit. Hic videlicet præcipuus scopus est ad quem dirigimur, quem totâ mente spectamus. Eò quidem jam à primis Episcopatûs nostri annis collimavimus, cùm typis mandari jussimus novam & emendatam Breviarii collectio-

nem : cui quidem operi jamdiu desideravimus opus istud adjungi. Verùm aliò nos vocavit officii nostri multiplex ratio, & majoribus tantisper negotiis districtos tenuit. Intentos quippe nos esse imprimis oportuit in Clericorum vitam sacris Statutis & Sanctionibus astringendam, sanctis informandam moribus, & per frequentes doctrinæ collationes à nobis institutas & ordinatas Ecclesiasticis ubique disciplinis imbuendam. Erigenda nobis fuerunt seminaria, flos Ecclesiastici germinis & Sacerdotalis velut ordinis incunabula; in quibus casta Ecclesiæ fœcunditas, quâ Filios sibi ipsa procreat & administros, conservetur: ne in nobis, quod in omnibus Episcopis communi jure decernitur, penè inutilis castitas videatur, quæ ita se exhibeat sterilem, ut aliam non pariat castitatem. Obsecundare præterea debuimus zelo verè Regio Principis nostri, qui & acceptum à Majoribus suis Christianissimi Regis titulum, & proprio sibi adjectum merito magni cognomen iis implet hodie virtutibus, quibus evellit simul & plantat. Erectas quippe ausu sacrilego extra salutis arcam Babylonicas turres æquat solo; & diffidentiæ filios non suaviter minùs, quàm fortiter avitam revocat ad fidem; mox dicatas formandæ utriusque sexûs Juventuti domos ædificat, & convenienti ditat proventu; sicque nostros non oculos modò, sed animos & studia eò magis provocat, quòd iis etiam in rebus, quæ muneris nostri sunt, non tam velit præire nobis imperio quàm exemplo. Verùm & nos, ante omnia, utpote pauperis Christi Vicarios, pauperumque Patres & procuratores maximè decuit egentibus, & miseris providere, non

alendis tantùm, ſed & in Dei timore eadem intra ſepta diligentiùs educandis: quod jam accedente Dei gratiâ, ita perficere cœpimus, ut, quamdiu nobis quidquam hac in re faciendum ſupererit, nihil nos feciſſe arbitremur, & ad nova quotidie id genus opera, cùm res ipſa poſcet, nos accingi oporteat: quo utique, in hoc collabentis Eccleſiaſticæ Charitatis, & diſciplinæ defluvio, tot hodie Clerici, qui nullis conſcientiæ ſtimulis excitati, nihil aliud ſibi putant eſſe negotii, quàm ut commodè vivant, propinquos locupletent, & Eccleſiæ prædiis otioſi perfruantur, ex noſtris non tam factis, quàm Sanctorum Patrum verbis & exemplis addiſcant, Eccleſiæ bona eſſe pretia peccatorum, vota fidelium & pauperum patrimonia: ac proinde ex iis quotidie dignas Deo primitias, congrua Eccleſiis dona, & largas pauperibus eſſe erogandas eléemoſynas. His ſcilicet officiis, Fratres dilectiſſimi, urgente nos charitate Chriſti, decuit imprimis incumbere, his prælucere, his ſtudia veſtra provocare. Quibus utique officiis nunquam ſatis defungimur: quâ enim viâ, Deo auſpice, pergere cœpimus, progredi nos in dies eadem urget Chriſti charitas, debiti nimirum genus, quod etiam cùm ſolutum eſt, nos facit ſemper debitores. Illud interim nobis propoſitum fuit, ut in hoc opere, velut in quotidiano mortis & vitæ ſpeculo id conſpicere poſſitis; umbram eſſe, quòd vivimus; quæve hic videntur bona, ſtatim diffluere; hominem in imagine pertranſire, ac proinde alibi, quàm ubi ſumus, omninò negotiari nos oportere.

Datum Bajocis Anno Domini 1686. die 24. Januarii.

TABULA TEMPORARIA.

Anni Domini.	*Lit. Dominicales.*	*Aur. numerus.*	*Epacta.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
1685.	g	14.	xxiv	18. Febr.	7. Mart.	22. April.
1686.	f	15.	v	10. Febr.	27. Febr.	14. April.
1687.	e	16.	xvi	26. Janu.	12. Febr.	30. Mart.
1688.	d c	17.	xxvii	15. Febr.	3. Mart.	18. April.
1689.	b	18.	viii	6. Febr.	23. Febr.	10. April.
1690.	A	19.	xix.	22. Janu.	8. Febr.	26. Mart.
1691.	g	1.	i.	11. Febr.	28. Febr.	15. April.
1692.	f e	2.	xii	3. Febr.	20. Febr.	6. April.
1693.	d	3.	xxiii	18. Janu.	4. Febr.	22. Mart.
1694.	c	4.	iv	7. Febr.	24. Febr.	11. April.
1695.	b	5.	xv	30. Janu.	16. Febr.	3. April.
1696.	A g	6.	xxvi	19. Febr.	7. Mart.	22. April.
1697.	f	7.	vii	3. Febr.	20. Febr.	7. April.
1698.	e	8.	xviii	26. Janu.	12. Febr.	30. Mart.
1699.	d	9.	xxix	15. Febr.	4. Mart.	19. April.
1700.	c non Biss.	10.	ix	7. Febr.	24. Febr.	11. April.
1701.	b	11.	xx	23. Janu	9. Febr.	27. Mart.
1702.	A	12.	i	12. Febr.	1. Mart.	16. April.
1703.	g	13.	xii	4. Febr.	21. Febr.	8. April.
1704.	f e	14.	xxiii	20. Janu.	6. Febr.	23. Mart.
1705.	d	15.	iv	8. Febr.	25. Febr.	12. April.
1706.	c	16.	xv	31. Janu.	17. Febr.	4. April.
1707.	b	17.	xxvi	20. Febr.	9. Mart.	24. April.
1708.	A g	18.	vii	5. Febr.	22. Febr.	8. April.
1709.	f	19.	xviii	27. Janu.	13. Febr.	31. Mart.
1710.	e	1.	*	16. Febr.	5. Mart.	20. April.
1711.	d	2.	xi	1. Febr.	18. Febr.	5. April.
1712.	c b	3.	xxii	24. Janu.	10. Febr.	27. Mart.
1713.	A	4.	iii	12. Febru.	1. Mart.	16. April.
1714.	g	5.	xiv	28. Janu.	14. Febr.	1. April.
1715.	f	6.	xxv	17. Febr.	6. Mart.	21. April.
1716.	e d	7.	vi	9. Febr.	26. Febr.	12. April.
1717.	c	8.	xvii	24. Janu.	10. Febr.	28. Mart.
1718.	b	9.	xxviii	13. Febr.	2. Mart.	17. April.
1719.	A	10.	ix	5. Febr.	22. Febr.	9. April.
1720.	g f	11.	xx	28. Janu.	14. Febr.	31. Mart.

FESTORVM MOBILIVM.

	Ascensio Domini.	Pentecoste.	Corpus Christi.	Indictio.	Dō. post Pent.	Dom. 1. Adven.
1685.	31. Maii	10. Junii	21. Junii	8	24	2. Dec
1686.	23. Maii	2. Junii	13. Junii	9	25	1. Dec
1687.	8. Maii	18. Maii	29. Maii	10	27	30. Nov
1688.	27. Maii	6. Junii	17. Junii	11	24	28. Nov
1689.	19. Maii	29. Maii	9. Junii	12	25	27. Nov
1690.	4. Maii	14. Maii	25. Maii	13	28	3. Dec
1691.	24. Maii	3. Junii	14. Junii	14	25	2. Dec
1692.	15. Maii	25. Maii	5. Junii	15	26	30. Nov
1693.	30. April.	10. Maii	21. Mai	1	28	29. Nov
1694.	20. Maii	30. Maii	10. Junii	2	25	28. Nov
1695.	12. Maii	22. Maii	2. Junii	3	26	27. Nov
1696.	31. Maii	10. Junii	21. Junii	4	24	2. Dec
1697.	16. Maii	26. Maii	6. Junii	5	26	1. Dec
1698.	8. Maii	18. Maii	29. Maii	6	27	30. Nov
1699.	28. Maii	7. Junii	18. Junii	7	24	29. Nov
1700.	20. Maii	30. Maii	10. Junii	8	25	28. Nov
1701.	5. Maii	15. Maii	26. Maii	9	27	27. Nov
1702.	25. Maii	4. Junii	15. Junii	10	25	3. Dec
1703.	17 Maii	27. Maii	7. Junii	11	26	2. Dec
1704.	1. Maii	11. Maii	22. Maii	12	28	30. Nov
1705.	21. Maii	31. Maii	11. Junii	13.	25.	29 Nov
1706.	13. Maii	23. Maii	3. Junii	14.	26.	28. Nov
1707.	2. Junii	12. Junii	23. Junii	15.	23.	27. Nov
1708.	17. Maii	27. Maii	7. Junii	1	26.	2. Dec
1709.	9. Maii	19. Maii	30. Maii	2	27.	1. Dec.
1710.	29. Maii	8. Junii	19. Junii	3	24	30. Nov
1711.	14. Maii	24. Maii	4. Junii	4	26	29. Nov
1712.	5. Maii	15. Maii	26. Maii	5	27	27. Nov
1713.	25. Maii	4. Junii	15. Junii	6	25	3. Dec
1714.	10. Maii	20. Maii	31. Maii	7	27	2. Dec
1715.	30. Maii	9. Junii	20. Junii	8	24	1. Dec
1716.	21. Maii	31. Maii	11. Junii	9	25	29. Nov
1717.	6. Maii	16. Maii	27. Maii	10	27	28. Nov
1718.	26. Maii	5. Junii	16. Junii	11	24	27. Nov
1719.	18. Maii	28. Maii	8. Junii	12	26	3. Dec
1720.	9. Maii	19. Maii	30. Maii	13	27	1. Dec

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
*	A	Kal.	1	*Circuncisio Domini* dupl. solenne 2. cl. ma. *& Festivatur.*
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani semiduplex ix. lect. cum com. octav. S. Joannis & Ss. Innocentium.
xxviii	c	iii	3	Octava S. Ioannis sem. 9 lect. cum com. oct. Ss. Innocentium & S. Genovefæ Virg.
xxvii	d	*prid.*	4	Octava Ss. Innocentium sem. 9. lect.
xxvi	e	*Non.*	5	Vigilia Epiph. sine jejunio sem. 9 lect.
25. xxv.	f	viii	6	*Epiphania Domini* dup. sol. 1. cl. ma. cum oct. sol. *& festivatur.*
xxiv	g	vii	7	De Octava
xxiii	A	vi	8	De Octava.
xxii	b	v	9	De Octava.
xxi	c	iv	10	De Octava.
xx	d	iii	11	De Octava.
xix	e	*prid.*	12	De Octava.
xviii	f	*idib.*	13	Octava Epiph. dup. sol. 2 cl. ma.
xvii	g	xix	14	Hilarii Episc. & Conf. sem. 9 lect.
xvi	A	xviii	15	Mauri Abb. & Conf. sem. 3 lect.
xv	b	xvii	16	Felicis Presbyteri & mart. cum com. S. Marcelli Papæ & mart.
xiv	c	xvi	17	Sulpicii Episc. & Conf.
xiii	d	xv	18	Priscæ Virg. & Mart.
xii	e	xiv	19	Contesti Episc. Bajoc. & Conf. sem. 9 lect. cum com. Ss. Marii & soc. mart.
xi	f	xiii	20	Fabiani & Sebastiani mart. dup mi.
x	g	xii	21	Agnetis Virg. & mart. dup. mi.
ix	A	xi	22	Vincentii mart. dup. min.
viii	b	x	23	Emerentianæ virg. & mart.
vii	c	ix	24	
vi	d	viii	25	Conversio S. Pauli Apost. dup. mi.
v	e	vii	26	Polycarpi episc. & mart.
iv	f	vi	27	Iuliani episc. & conf. in Cath. dup. min. per Diœc. sem. 3 lect.
iii	g	v	28	Joannis Chrysostomi episc. & conf. sem. 9 lect. cum com. S. Agnetis secundò
ii	A	iv	29	Francisci Salesii episc. & conf. sem. 3. lect.
i	b	iii	30	
*	c	*Prid.*	31	

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	*Lit. Dom.*		*Dies mensis.*	
xxix	d	Kal.	1	Ignatii episc. & mart. cum com. S. Brigidæ virg.
xxviii	e	iv	2	*Purificatio B. Mariæ Virginis* dup. sol. 1 cl. ma cum oct. dup. *& festiv.*
xxvii	f	iii	3	Blasii episc. & mart. sem. 3 lect. cum com. oct.
25. xxvi	g	*prid.*	4	De Octava.
xxiv	A	*Non.*	5	Agatæ virg. & mart. sem. 9 lect. cum com. oct.
xxiii	b	viii	6	De oct. cum com. S. Vedasti episc. & conf.
xxii	c	vii	7	De octava.
xxi	d	vi	8	De octava.
xx	e	v	9	Octava purificat. B. M. V. dup. 2 cl. min.
xix	f	iv	10	Scholasticæ virg.
xviii	g	iii	11	
xvii	A	*prid.*	12	Eulaliæ virg. & mart.
xvi	b	*idib.*	13	Licinii episc. & conf.
xv	c	xvi	14	Valentini presbyteri & mart.
xiv	d	xv	15	
xiii	e	xiv	16	Julianę virg. & mart.
xii	f	xiii	17	
xi	g	xii	18	
x	A	xi	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	
vii	d	viii	22	Cathedra S. Petri Apost. Antiochię dup. mi.
vi	e	vii	23	Vigilia sine jejunio.
v	f	vi	24	*Mathiæ Apost.* dup. ma. *& festivatur.*
iv	g	v	25	
iii	A	iv	26	
ii	b	iii	27	Honorinæ virg. & mart. in Cath. dup. mi. per Diœc. sem. 9 lect.
i	c	*prid.*	28	

In anno Bissextili Februarius est dierum 29 & festum *S. Mathiæ celebratur* 25. & S. Honorinæ 28. Febr. & bis dicitur, *sexto Kalendas*, idest die 24 & die 25 & littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem : ut si in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutatur in præcedentem, quæ est G & Littera F bis servit 24 & 25, &c.

MARTIUS.

MARTIUS.

Cyclus Epactæ.	Litteræ Domin.	Dies mensis.		
*	d	Kal.	1	Albini episc. & conf.
xxix	e	vi	2	
xxviii	f	v	3	
xxvii	g	iv	4	
xxvi	A	iii	5	
25. xxv	b	*prid.*	6	
xxiv	c	*Non.*	7	Ss. Perpetuæ & Felicitatis mart. cum com. S. Thomæ de Aquino conf.
xxiii	d	viii	8	
xxii	e	vii	9	
xxi	f	vi	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorii Papæ & Conf. & Eccl. Doct. dup. min.
xviii	b	iii	13	
xvii	c	*prid.*	14	
xvi	d	*idib.*	15	
xv	e	xvii	16	
xiv	f	xvi	17	
xiii	g	xv	18	
xii	A	xiv	19	Joseph Sponsi Beatæ Mariæ Virginis in Cath. dup. 2 cl. min. per Diœc. dup. min.
xi	b	xiii	20	Joachim Patris Beatæ Mariæ Virginis in Cath. dup. 2 cl. mi. per Diœc. dup. min.
x	c	xii	21	Benedicti abb. & conf. sem. 9 lect.
ix	d	xi	22	Pauli episc. Narbon. sem. 9 lect.
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	
vi	g	viii	25	*Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis* dup. sol. 1 cl. min. *& festivatur.*
v	A	vii	26	
iv	b	vi	27	
iii	c	v	28	
ii	d	iv	29	
i	e	iii	30	
*	f	*prid.*	31	

APRILIS.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies Mensis.*		
xxix	g	Kal.	1	
xxviii	A	iv	2	Mariæ Ægyptiacæ nec virg. nec mart.
xxvii	b	iii	3	
25. xxvi	c	*Prid.*	4	Ambrosii episc. & conf. & Ecclesię Doctoris dup. mi.
25.xxiv	d	*Non.*	5	
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviii	c	iii	11	Leonis Papæ & conf. sem. 9 lect.
xvii	d	*Prid.*	12	
xvi	e	*idib.*	13	
xv	f	xviii	14	Tiburtii & Valeriani mart.
xiv	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	
xi	c	xiv	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	
viii	f	xi	21	
vii	g	x	22	
vi	A	ix	23	Georgii mart. sem. 3 lect.
v	b	viii	24	
iv	c	vii	25	Marci Evangelistæ dup. majus.
iii	d	vi	26	
ii	e	v	27	
i	f	iv	28	Vitalis mart.
*	g	iii	29	
xxix	A	*prid.*	30	

MAIUS.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies Mensis.*		
xxviii	b	Kal.	1	*Philippi & Iacobi Apost.* dup. ma. *& festivatur.*
xxvii	c	vi	2	Athanasii episc. & conf. sem. 9 lect.
xxvi	d	v	3	Inventio S. Crucis dup. ma. cum com. SS. Alexandri & soc. mart.
25. xxv.	e	iv	4	Marculphi abb. sem. 3 lect. cum com. S. Quiriaci episc. & mart.
xxiv	f	iii	5	
xxiii	g	*Prid.*	6	Joannis ante portam latinam dup. min.
xxii	A	*Non.*	7	
xxi	b	viii	8	Apparitio S. Michaëlis in monte Gargano dup. 2 clas. min. in Cath. per Diœc. sem. 9 lect.
xx	c	vii	9	Translatio SS. Andreæ, Lucæ &c. sem. 3 lect.
xix	d	vi	10	Gregorii Nazianzeni episc. & conf. sem. 9 lect. cum com. Ss. Gordiani & Epimachi mart.
xviii	e	v	11	
xvii	f	iv	12	Nerei, Achillei & soc. mart.
xvi	g	iii	13	
xv	A	*Prid.*	14	
xiv	b	*idib.*	15	
xiii	c	xvii	16	Regnoberti episc. Bajoc. & conf. (in Cath. dup. sol. 1 clas. min) per Diœc. dup. sol. 2 cl. ma.
xii	d	xvi	17	
xi	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Ivonis presb. & conf. dup. min. cum com. S. Pudentianæ virg.
ix	g	xiii	20	Basillę virg. & mart.
viii	A	xii	21	
vii	b	xi	22	
vi	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viii	25	Urbani Papę & mart.
iii	f	vii	26	Augustini Anglorum episc. & conf.
ii	g	vi	27	
i	A	v	28	Manvei episc. Bajoc. & conf. sem. 9 lect. cum com. S. Germani episc. & conf.
*	b	iv	29	
xxix	c	iii	30	
xxviii	d	*prid.*	31	Petronillæ Virginis.

JUNIUS.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies Mensis.*		
xxvii	e	Kal.	1	
25. xxvi	f	iv	2	Marcellini & Petri mart.
25. xxiv	g	iii	3	Erasmi episc. & mart.
xxiii	A	*prid.*	4	
xxii	b	*Non.*	5	Bonifacii episc. & mart.
xxi	c	viii	6	
xx	d	vii	7	
xix	e	vi	8	Medardi & Gildardi episc. & conf.
xviii	f	v	9	Primi & Feliciani mart.
xvii	g	iv	10	
xvi	A	iii	11	*Barnabæ Apost.* dup. ma. *& festivatur.*
xv	b	*prid.*	12	Nazarii & Celsi mart. sem. 9 lect. cum com. Ss. Basilidis & soc. mart.
xiv	c	*idib.*	13	Feliculæ virg. & mart.
xiii	d	xviii	14	Basilii Magni episc. & conf. sem. 9 lect.
xii	e	xvii	15	Viti, Modesti, & Crescentiæ mart.
xi	f	xvi	16	Cirici & Julitæ mart.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci & Marcelliani mart.
viii	b	xiii	19	Gervasii & Protasii mart. dup. minus.
vii	c	xii	20	
vi	d	xi	21	
v	e	x	22	Albani mart. sem. 3 lect. cum com. S. Paulini episc. & conf.
iv	f	ix	23	Vigilia cum jejunio, & com. S. Joan. presb & mart.
iii	g	viii	24	*Nativitas S. Ioannis Baptistæ* dup. sol. 2 classis ma. cum oct. sem. *& festivatur.*
ii	A	vii	25	Translatio S. Eligii episc. & conf. dup. min. cum com oct.
i	b	vi	26	Joannis & Pauli mart. sem. 3 lect. cum com. oct.
*	c	v	27	De octava.
xxix	d	iv	28	Irenæi episc. & mart. sem. 3 lect. cum com. oct. vigiliç & S. Leonis Papæ & conf. & eo die jejunatur.
xxviii	e	iii	29	*Petri & Pauli Apost.* dup. sol. 2 classis ma. cum octava sem. *& festivatur.*
xxvii	f	*prid.*	30	Commemoratio S. Pauli Apost. dup. min. cum com. octav. S. Petri & S. Joannis.

JULIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dni.		Dies Mens.	
xxvi	g	Kal.	1	Festum Reliquiarum Eccl. Bajoc. dup. sol. 1 classis min. cum com. diei oct. S. Joannis Bapt.
25. xxv	A	vi	2	Visitatio B. Mariæ Virg. dup. ma. cum com. oct. Apost. & SS. Processi & Martiniani mart.
xxiv	b	v	3	De octava Apost.
xxiii	c	iv	4	Transl. S. Martini episc. & conf. sem. 3 lect. cum com. oct.
xxii	d	iii	5	De Octava.
xxi	e	*prid.*	6	Octava Apost. Petri & Pauli dup. min.
xx	f	*Non.*	7	Transl. S. Thomæ Cantuar. episc. & mart. sem. 9 lect. cum com. SS. Nicostrati & soc. mart.
xix	g	viii	8	
xviii	A	vii	9	
xvii	b	vi	10	Septem Fratrum mart.
xvi	c	v	11	Transl. S. Benedicti abb. sem. 3 lect. cum com. S. Norberti episc. & conf.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iii	13	Silæ Apost.
xiii	f	*prid.*	14	Transl. SS. Exuperii, Lupi, & Vig. episc. Bajoc. & conf.
xii	g	*idib.*	15	dup. ma. *Dominicâ proximiori diei decimæ-quartæ julii*
xi	A	xvii	16	*celebratur festum Dedicationis Eccl. Bajoc. & aliarum*
x	b	xvi	17	*totius Diœc. Eccl. dup. ann. cum oct. sol.*
ix	c	xv	18	Com. S. Clari mart. & S. Arnulphi episc. & conf.
viii	d	xiv	19	
vii	e	xiii	20	Marguaritę virg. & mart.
vi	f	xii	21	Praxedis virg.
v	g	xi	22	Marię Magdalenæ dup. min. cum com. S. Vvandregisili abb. & conf.
iv	A	x	23	Ravenni & Rasiphi mart. dup. sol. 1. cl. ma. cum oct. dup.
iii	b	ix	24	De oct. cum com. vigiliæ & S. Christinæ virg. & mart. vig. sine jejunio.
ii	c	viii	25	*Jacobi Apost.* dup. ma. cum com. oct. & SS. Christophori & Cucufatis mart. *& festivatur.*
i	d	vii	26	Annæ Matris B M. V. in Cath. dup. 2 cl. min. per Diœc. dup. min. cum com. oct.
*	e	vi	27	De octava cum com. SS. 7 Dormientium mart.
xxix	f	v	28	Pantaleonis mart. dup. 2 classis min.
xxviii	g	iv	29	Marthæ virg. dup. min. cum com. oct.
xxvii	A	iii	30	Oct. SS. Ravenni & Rasiphi dup. 2 cl. min. cum com. SS. Abdon & Sennen mart. in laud. tantùm.
25. xxvi	b	*prid.*	31	Germani episc. & conf. sem. 3 lect. cum com. S. Ignatii conf.

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	*Lit. Dom.*	*Dies Mensis*		
25.xxiv.	c	Kal.	1	Exuperii primi episc. Bajoc. & conf. dup. solenne 1. classis ma. cum oct. duplici, & festivatur in Urbibus Bajocensi, Cadomensi, & Viriensi.
xxiii	d	iv	2	Petri ad vincula dup. min. cum com. oct. & S. Stephani Papæ & Mart.
xxii	e	iii	3	Inventio S. Stephani prothom. & soc. sem. 9 lect. cum com. oct.
xxi	f	*prid.*	4	De octava.com. S. Tertulini mart. & S. Dominici conf.
xx	g	*Non.*	5	De octava com. S. Afræ mart.
xix	A	viii	6	Transfiguratio Domini dup. ma. cum com. oct. & Ss. Xisti & soc. mart.
xviii	b	vii	7	De octava cum com. S. Donati episc. & mart.
xvii	c	vi	8	Octava S. Exuperii dup. 2 classis min. cum com. Ss. Cyriaci & soc. mart. in laud.
xvi	d	v	9	Vigilia cum jejunio, & com. S. Romani mart.
xv	e	iv	10	*Laurentii* mart. dup. maj. *& festivatur.*
xiv	f	iii	11	Taurini episc. & conf sem. 9 lect. cum com. Ss Tiburtii & soc. mart.
xiii	g	*prid.*	12	Reductio Norm. ad Carol. 7 Franc. Regem.
xii	A	*idib.*	13	Hyppoliti & soc. mart. sem. 3 lect.
xi	b	xix	14	Vigilia Assumpt. *cum jejunio*, & com. S. Eusebii presb. & conf. (*festivatur.*
x	c	xviii	15	*Assumpt. B. M. V.* dup. Annuale cum octa. solenni *&*
ix	d	xvii	16	De octava.
viii	e	xvi	17	De octava.
vii	f	xv	18	De octava cum com. S. Agapiti mart.
vi	g	xiv	19	De octava cum com. S. Magni mart.
v	A	xiii	20	De octava cum com. S. Philberti abb.
iv	b	xii	21	De octava.
iii	c	xi	22	Octava Assumpt. dup. sol. 2 cl. ma. cum com. SS. Timothei & soc. mart. in laud.
ii	d	x	23	Vigilia sine jejunio, cum com. Ss. Timothei & Apollinaris mart.
i	e	ix	24	*Bartholomæi Apost.* dup. ma. cum com. S. Audoeni episc. & conf. *& festivatur.*
*	f	viii	25	Ludovici Regis Franc. conf. dup. min.
xxix	g	vii	26	Bernardi abb. sem. 9 lect. cum com. Ss. Irenęi & A-
xxviii	A	vi	27	Rufi mart. (bundii mart.
xxvii	b	v	28	Augustini episc. & conf. & Eccl. Doctoris dup. min. cum com. S. Hermetis mart. (binæ mart.
xxvi	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Bapt. dup. min. cum com. S. Sa-
25. xxv.	d	iii	30	Felicis & Adaucti mart.
xxiv	e	*Prid.*	31	

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	*Lit. Dom.*		*Dies menſis.*	
xxiii	f	Kal.	1	Ægidii abb. ſem. 9 lect.
xxii	g	iv	2	Antonini mart. in Cath. dup.ma. per Diœc.dup. min.
xxi	A	iii	3	Tranſl. S. Regnoberti epiſc. Bajoc. & conf. in cath. dup. 2 cl. min. per Diœc. dup. ma.
xx	b	*prid.*	4	
xix	c	*Non.*	5	
xviii	d	viii	6	
xvii	e	vii	7	Evurcii epiſc. & conf.
xvi	f	vi	8	*Nativitas B. M. V.* dup. ſol. 1 cl ma. cum oct. dup. *& feſtivatur.*
xv	g	v	9	De octava. com. S.Gorgonii mart.
xiv	A	iv	10	De octava.
xiii	b	iii	11	De octava. com. Ss Proti & Hyacinthi mart.
xii	c	*prid.*	12	Reverentii presb. & conf. ſem. 3 lect. cum com. oct.
xi	d	*idib.*	13	De octava.
x	e	xviii	14	Exaltatio S. Crucis dup. ma. cum com. oct. & Ss. Cornelii & Cypriani pont. & mart.
ix	f	xvii	15	Octava Nat. B. M. dup. 2 cl. min. cum com S. Nicomedis mart. in laud.
viii	g	xvi	16	Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani mart.
vii	A	xv	17	Lamberti & Flocelli mart.
vi	b	xiv	18	
v	c	xiii	19	
iv	d	xii	20	Vigilia cum jejunio.
iii	e	xi	21	*Mathæi Apoſt. & Evang.* dup. ma. cum com. S. Laudi epiſc. & conf. *& feſtivatur.*
ii	f	x	22	Mauricii & ſoc. Mart. ſem. 3 lect.
i	g	ix	23	
*	A	viii	24	
xxix	b	vii	25	Firmini epiſc. & mart. ſem. 3 lect.
xxviii	c	vi	26	Fauſti mart. in cath. dup. ſol. 1 cl. min. per Diœc. dup. min. cum com. Ss. Cypriani & Juſtinæ mart.
xxvii	d	v	27	Coſmæ & Damiani mart. ſem. 3 lect.
25. xxvi	e	iv	28	
25. xxiv	f	iii	29	Dedicatio S. Michaelis Archangeli dup. ma.
xxiii	g	*prid.*	30	Hieronymi presb. & conf. & Eccleſiæ Doctoris dup. min.

OCTOBER.

Cyclus Epact.	*Lit. Dom.*		*Dies Mensis*	
xxii	A	Kal.	1	Remigii episc. & conf. sem. 3 lect.
xxi	b	vi	2	Leodegarii episc. & mart. vel. Ss. Angelorum custodum sem. 9 lect. (ad libitum) cum com. S. Leodegarii.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci conf. sem. 3 lect,
xviii	e	iii	5	
xvii	f	*prid.*	6	Fidis virg. & mart.
xvi	g	*Non.*	7	Sergii & soc. mart. sem. 3 lect.
xv	A	viii	8	Reparatæ virg. & mart.
xiv	b	vii	9	Dionysii & soc. mart. dup. min.
xiii	c	vi	10	
xii	d	v	11	Nicasii & soc. mart.
xi	e	iv	12	
x	f	iii	13	
ix	g	*prid.*	14	Calixti papæ & mart.
viii	A	*idib.*	15	
vii	b	xvii	16	Apparitio S. Michaelis in Monte Tumba, in Cath. dup. 2 cl. min. per Diœc. sem. 9 lect.
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	Lucæ Evangelistæ dup. ma.
iv	e	xiv	19	
iii	f	xiii	20	Caprasii mart.
ii	g	xii	21	
i	A	xi	22	Melloni episc. & conf. sem. 3 lect.
*	b	x	23	Romani episc. & conf. sem. 9 lect.
xxix	c	ix	24	Maglorii episc. & conf.
xxviii	d	viii	25	Lupi episc. Bajoc. & conf. dup. ma. cum com. Ss. Crispini & Crispiniani mart.
xxvii	e	vii	26	Amandi episc. & conf.
xxvi	f	vi	27	Vigilia cum jejunio.
25. xxv	g	v	28	*Simonis & Iudæ Apost.* dup. ma. *& festivatur.*
xxiv	A	iv	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	*prid.*	31	Vigilia cum jejunio. Quintini mart. sem. 3 lect. com. vig.

NOVEMBER

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	*Littera Domin.*	*Dies Mensis.*		
xxi	d	Kal.	1	*Feſtum omnium Sanctorum* dup. ſol. 1. cl. ma. cum oct. duplici & feſtivatur.
xx	c	iv	2	Commemoratio omnium Fidelium Defunct. duplex.
xix	f	iii	3	Vigoris Epiſc. Bajoc. & Conf. dup. ma. cum com. oct. & SS. Euſtachii & ſoc. mart.
xviii	g	*prid.*	4	Caroli epiſc. & conf. ſem. 9. lect. cum com. oct.
xvii	A	*Non.*	5	De octava.
xvi	b	viii	6	Leonardi abb. & conf. ſem. 3. lect. cum com. oct.
xv	c	vii	7	De octava.
xiv	d	vi	8	Octava omnium Sanctorum dupl. 2. cl. min. cum com. SS. quatuor Coronatorum mart.
xiii	e	v	9	Theodori mart.
xii	f	iv	10	Spacii mart. ſem. 3. lect.
xi	g	iii	11	Martini epiſc. & conf. dup. ma. cum oct. ſem. com. S Mennæ mart.
x	A	*prid.*	12	De Octava.
ix	b	*idib.*	13	Brictii epiſc. & conf. ſem. 3. lect. cum com. oct.
viii	c	xviii	14	De Octava.
vii	d	xvii	15	Macuti epiſc. & conf. ſem. 3. lect. cum com. oct.
vi	e	xvi	16	De Octava.
v	f	xv	17	Aniani epiſc. & conf. ſem. 3. lect. cum com. oct.
iv	g	xiv	18	Octava S. Martini ſem. 9. lect.
iii	A	xiii	19	
ii	b	xii	20	Eadmundi Regis & mart. ſem. 3. lect.
i	c	xi	21	Dominica ultima poſt Pent. celebratur feſtum præſentationis B.M.V. dup. ſol. 1. cl. min. cum com. dom
*	d	x	22	Cæciliæ virg. & mart. dup. min.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ & mart. ſem. 3. lect.
xxviii	f	viii	24	Chryſogoni mart.
xxvii	g	vii	25	Catharinæ virg. & mart. dup. min. cum com. S. Petri epiſc. & mart.
25.xxvi	A	vi	26	Lini Papæ & Mart.
xxv.24.	b	v	27	
xxiii	c	iv	28	
xxii	d	iii	29	Vigilia cum jejunio. com. S. Saturnini mart.
xxi	e	*prid.*	30	*Andreæ Apoſt.* dup. ma. *& feſtivatur.*

DECEMBER.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies Mensis.*		
xx.	f	Kal.	1	Eligii episc. & conf. sem. 3. lect.
xjx	g	iv	2	
xviii	A	iii	3	Com. S. Francisci Xaverii conf.
xvii	b	*prid.*	4	Com. S. Barbaræ virg. & mart.
xvi	c	*Non.*	5	
xv	d	viii	6	Nicolai episc. & conf. dup. min.
xiv	e	vii	7	Gereboldi episc. Bajoc. & conf. dup. min.
xiii	f	vi	8	*Conceptio B. Mariæ V.* dup. sol. 1. cl. min. cum octava dup. *& Festivatur.*
xii	g	v	9	De Octava.
xi	A	iv	10	De Octava.
x	b	iii	11	De Octava.
ix	c	*prid.*	12	De Octava.
viii	d	*idib*	13	Luciæ virg. & mart. sem. 3. lect. cum com oct.
vii	e	xix	14	De Octava.
vi	f	xviii	15	Octava Concept. B. M. V. dup. 2. cl. min.
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iii	b	xv	18	Gatiani episc. & conf. dup. min.
ii	c	xiv	19	
i	d	xiii	20	
*	e	xii	21	*Thomæ Apost.* dup. ma. *& festivatur.*
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia cum jejunio.
xxvi	b	viii	25	*Nativitas Domini nostri Jesu Christi* dup. ann. cum oct. sol, *(& Festivatur)*
25. xxv.	c	vii	26	*Stephani Prothomartyris* dup. ma. cum oct. sem. & com. oct. nat. *(& Festivatur.)*
xxiv	d	vi	27	*Joannis Apost. & Evang.* dup. ma. cum oct. sem. & com. octavar. *(& festivatur)*
xxiii	e	v	28	Innocentium mart. dup. ma. cum oct. sem. & com. octavarum.
xxii	f	iv	29	Thomæ Cantuar. episc. & mart. in Cath. dup. ma. per Diœc. dup. min. cum com. octav.
xxi	g	iii	30	Ursini episc. & conf. dup. 2. cl. min. cum com. oct.
19. xx.	A	*prid.*	31	De Dominica infra oct. nat. sem. 9. lect. cum com. oct. & S. Silvestri Pap. & Conf.

Hæc Epacta 19 nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero 19,

FESTA MOBILIA.

Festa mobilia, quæ Festivantur, ea sunt, quæ in Calendario non apponuntur, eò quòd certis non sint diebus affixa, hæc sunt.

R*Esurrectio Domini cum duobus proximè sequentibus diebus. Ascensio Domini. Dies Pentecostes, cum duobus proximè sequentibus diebus. Sanctissima Trinitas. Corpus Christi. Omnes dies Dominicæ.*

FESTA QUÆ FESTIVANTUR, ET SUNT CERTIS diebus affixa.

MENSE JANUARIO.

C*Ircumcisio Domini.*
Epiphania Domini.

Mense Februario.

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
Festum S. Mathiæ Apost.

Mense Martio.

Annuntiatio B. Mariæ Virginis.

Mense Maio.

Festum SS. Philippi & Jacobi Apost.

Mense Junio.

Festum S. Barnabæ Apost.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Festum SS. Petri & Pauli Apost.

Mense Julio.

Festum S. Iacobi Apost.

Mense Augusto.

Festum S. Exuperii in Urbibus Bajocensi, Cadomensi, & Viriensi tantùm.
Festum S. Laurentii.
Assumptio B. Mariæ Virginis.
Festum S. Bartholomæi Apost.

Mense Septembri.

Nativitas B. Mariæ Virginis.
Festum S. Mathæi Apost.

Mense Octobri.

Festum SS. Simonis & Judæ Apost.

Mense Novembri.

Festum omnium Sanctorum.
Festum S. Andreæ Apost.

Mense Decembri.

Conceptio B. Mariæ Virginis.
Festum S. Thomæ Apost.
Nativitas Domini nostri I. C.
Festum S. Stephani Protomart.
Festum S. Ioannis Apost. & Evang.

His adjunge Festum Patroni seu Titularis cujuslibet Parochialis Ecclesiæ.

Quòd si hæc Festa in Calendario reposita in diem Dominicam incidant, in qua eorum Officium celebrari non possit, transfertur officium tantùm, non festivitas, exceptis tamen Festis *Purificationis*, *Annuntiationis*, *Conceptionis B. Mariæ Virginis*. & *S. Joannis Bapt.* in quibus simul cum officio Festivitas ipsa transfertur.

JEJUNIA
De Præcepto observanda.

TOtius Quadragesimæ exceptis diebus Dominicis. Feriæ quartæ, sextæ & Sabbathi, 4. Temporum. Vigiliarum S. Joannis Bapt. SS. Petri & Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariæ Virg. S. Mathæi, SS. Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, S. Andreæ, & Nativitatis Domini.

Si tamen die Lunæ sit festum cujus Vigilia adjunctum habeat jejunium; tunc Sabbatho præcedenti jejunatur.

Quòd si festum S. Ioannis Bapt. incidat in diem Veneris, post Festum Corporis Christi, ejus Vigilia cum jejunio fit die Mercurii præcedenti.

De Abstinentia ab esu carnium.

PEr totam Quadragesimam fit abstinentia non solùm ab esu carnium, sed & ovorum; die verò Sancti Marci (etiam cùm transfertur.) Feriis 2. 3. 4. Rogationum & omnibus diebus Veneris, & Sabbathi cujuslibet hebdomadæ fit abstinentia ab esu carnium tantùm. Si tamen Festum Nativitatis Domini cum die Veneris, aut cum Sabbatho coincidat, tunc nullum est de abstinentia præceptum.

De Quatuor Temporibus.

QVatuor Tempora observantur Feriis 4. 6. & Sabbatho proximis post Dominicam primam Quadragesimæ, post Festum Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis, & post Festum S. Luciæ.

De Nuptiarum tempore.

NVptiæ celebrari possunt ab Epiphania Domini usque ad Feriam quartam Cinerum exclusivè, & à Dominica in Albis usque ad Dominicam primam Adventûs exclusivè.

De Synodi tempore.

SYnodus Diœcesana Feriâ quartâ post Dominicam in Albis habetur.

DE



DE IIS,

Quæ in Sacramentorum Administratione generaliter observanda sunt.



UM in Ecclesia Dei nihil Utilius, Sanctius, aut Divinius habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta; Parochus vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse debet se Sancta tractare, atque omni fere temporis momento, ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

Quamobrem perpetuò curabit ut integrè piéque vitam agat. Ideò si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius confessus fuerit: aut si Confessarius desit, saltem corde pœnitentiam egerit.

Quacunque horâ diei ac noctis ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam moram (præsertim ubi urget necessitas) interponat. Ac propterea populum sæpe prout se offeret occasio, præmonebit, ut cùm Sacro Ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nullâ temporis aut cujuscunque incommodi habitâ ratione.

Antequam ad hujusmodi administrationem accedat, divinum imploret auxilium, dirigat intentionem, atque ordinem ministrandi, & ceremonias pro temporis spatio prævideat.

Curabit etiam, ut vestes, ornamenta, linteamina & vasa ministerii integra, nitida sint & munda.

In Sacramentorum administratione, eorum virtutem, usum, ac utilitatem, & ceremoniarum significationes, ut Concilia Tridentinum & Rothomagense præcipiunt, ex Sanctorum Patrum & Catechismi Romani Doctrina, prout commodè fieri poterit, diligenter explicabit.

Dum Sacramentum aliquod administrat, singula verba, quæ ad illius formam & ministerium pertinent, attentè, distinctè, & clara voce pronuntiabit. Similiter & alias Orationes & Preces Religiosè dicet: nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facilè confidet: sed quantum fieri poterit, recitabit ex libro.

Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur, in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, alterutra enim essentialis est.

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causâ, vel de licentia Parochi seu Ordinarii.

Librum hunc Ritualem semper, cùm ministrabit, secum habebit, ritúsque & ceremonias in eo præscriptas diligenter observabit.

****

DE SACRAMENTO

Baptismi ritè administrando.

SACRUM Baptisma Christianæ Religionis & æternæ vitæ januam, quòd inter alia novæ Legis Sacramenta instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse ipsa Veritas testatur, his verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-

ritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. *Itaque summa ad illud opportunè ritéque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est.*

Cùm autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino necessaria, ut materia, forma, & minister; alia ad illius solennitatem pertineant, ut ritus ac ceremoniæ, quas ex Apostolica & antiquissima traditione acceptas & approbatas, nisi necessitatis causâ, omittere non licet, de iis omnibus aliqua præmonenda sunt, ut Sacrum hoc Ministerium ritè ac sanctè peragatur.

****

DE MATERIA BAPTISMI.

MATERIA *Baptismi est aqua vera & naturalis, nec ullus alius liquor adhiberi potest.*

Aqua verò solennis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbatho sancto Paschæ, vel Sabbatho Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida & pura diligenter conservetur: & hæc quando nova benedicenda est, in Ecclesiæ vel potius baptisterii sacrarium effundatur.

Si aqua benedicta adeò imminuta sit, ut minùs sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

Si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum recentem aquam infundat, eámque benedicat ex formula, quæ infra præscribetur.

Sed si aqua congelata sit, curetur, ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ benedictæ calefacere, & admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, & eâ tepefactâ ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

****

DE FORMA BAPTISMI.

OMNINO *necessaria est Baptismi forma*, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *Ideóque eam nullo modo immutare licet, sed eadem verba uno & eodem tempore, quo fit ablutio ab eodem pronuntianda sunt. Nec nisi Latinè eâ formâ utendum est Clericis.*

Cùm Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione (de qua infra) sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo. SI NON ES BAPTIZATUS, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet; sed prudenter, ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.*

Quamvis autem non tantùm per aquæ infusionem, sed & per immersionem & aspersionem baptismus fieri possit; Primus tamen duntaxat modus juxta hic receptam & Romanæ Ecclesiæ probatam consuetudinem servandus est, sic nimirum ut cum prolatione verborum, trinâ in modum Crucis ablutione caput baptizandi perfundatur. Cavendumque tunc ne aqua ex infantis capite in ipsum fontem, sed in Sacrarium baptisterii defluat, aut vase aliquo ad id parato excepta in ipsius baptisterii, vel Ecclesiæ Sacrarium effundatur.

****

DE MINISTRO BAPTISMI.

LEGITIMUS *Baptismi Minister Episcopus, Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho, vel Ordinario loci delegatus;*

Sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solennitate à quocunque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laïco etiam excommunicato, sive Fideli, sive Infideli, sive Catholico, sive Hæretico, sive viro, sive fœmina, servatis tamen forma & intentione Ecclesiæ.

Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laïco, & vir fœminæ; nisi pudoris gratiâ deceat fœminam potiùs quàm virum baptizare infantem non omninò editum, vel nisi fœmina melius sciret formam & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servent.

Pater aut Mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo (ubi alius non reperitur qui baptizandi ritum teneat) neque tunc ullam contrahunt cognationem quæ matrimonii usum impediat. Ideò Parochus singulis mensibus semel in Pronao Missæ Parochialis, formam verborum hujus Sacramenti in lingua vulgari distinctè pronuntiabit, & modum simul infundendæ aquæ breviter edocebit.

****

DE PARVULIS BAPTIZANDIS.

MONEAT Parochus juxta statuta hujus Diœcesis eos ad quos pertinet ut natos infantes quamprimum ad Ecclesiam deferant, nec ultrà tres dies differant, ne eos periculo salutis exponant.

Si Ecclesia procul distet, qui infantem deferunt, habeant secum aquam puram, in aquali vel alio vase apto, quâ statim baptizari possit, si fortè in itinere periculum mortis imminere videatur.

Infans in Ecclesia, quando baptizandus ungendusque est, nude-

tur tantùm capite, scapulis & pectore, quia eæ solæ partes tangendæ sunt.

Laudabilis est præcautio eorum Sacerdotum, qui cùm infantes pilosos, aut adultos baptizant, dum manu dextra aquam super caput infundunt, eam sinistrâ super cutem applicant.

Nemo in utero Matris clausus baptizari debet: Sed si infans caput emiserit & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec posteà si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: SI NON ES BAPTIZATUS, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI: *Si verò ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, in loco sacro erit sepeliendus.*

Si Mater prægnans mortua fuerit, os ejus teneatur apertum, & fœtus quamprimum Chirurgorum aut aliorum ministerio cautè extrahatur, ac si certò vivat, baptizetur. Si verò fuerit mortuus, nec baptizari, nec in loco sacro sepeliri debet. Si sit dubium an vivat, baptizetur sub conditione, & in loco sacro sepeliatur.

Infantes expositi & inventi, si re diligenter investigatâ, de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur.

In monstris verò baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est: qua de re D. Episcopus est consulendus, nisi mortis periculum immineat.

Monstrum quod humanam speciem non præ se fert, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub conditione. SI TU ES HOMO, EGO TE BAPTIZO, &c.

Illud verè, de quo præcipuè dubium est, an scilicet una vel plures sint personæ? in hoc casu non baptizetur monstrum, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita,

unum vel plura pectora. Tunc enim totidem erunt corda & animæ, hominesque distincti ; & eo casu singuli seorsum sunt baptizandi unicuique dicendo : EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, &c. *Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur : poterit Minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare dicendo :* EGO VOS BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *Quam tamen formam in iis solùm, & in aliis similibus mortis periculis ad plures simul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, adhibere licet, & non alias.*

Quando verò non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet satis distincta ; Tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & postea alter sub conditione hoc modo : SI NON ES BAPTIZATUS, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, &c.

********************** ********************

DE PATRINIS ET MATRINIS.

PATRINI & Matrini in Baptismo non sunt adhibendi, nisi cùm solenniter administratur.

Patrinus unus tantùm, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur ex Decreto Concilii Trident. alteruter sit saltem quatuordecim annos natus ; nec unquam admittantur baptizandis Pater aut Mater.

Porrò ab hoc munere amoveantur Infideles, Hæretici, publicè excommunicati, aut interdicti, publicè criminosi aut infames, illi qui sana mente non sunt, qui Communionem Paschalem non sumpserunt, illi denique, qui fidei rudimenta ignorant.

Præterea ad hoc munus non sunt admittendi Monachi vel Sanctimoniales, & alii cujusvis Ordinis regulares à sæculo segregati.

Qui ablutum domi infantem, posteà in Ecclesia suscipiunt, non contrahunt cognationem spiritualem, sed ii solùm qui suscipiunt dum infans aquâ abluitur.

Parochus non admittat alia nomina Baptizandis imponenda, nisi sint Sanctorum novi Testamenti & veteris, quæ usu recipiuntur, & in Martyrologio reponuntur.

****

DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI.

QUOVIS tempore potest administrari Baptismus etiam tempore interdicti & cessationis à Divinis, si qui tamen reperiantur Catechumeni, differantur in diem Sabbathi Paschæ vel Pentecostes, quantum commodè fieri potest.

Extra casum necessitatis non licet conferre Baptismum, nisi in Ecclesia Parochiali, in qua sit fons Baptismalis, non verò in Oratoriis privatis seu capellis.

Non conferatur Baptismus absque ceremoniis & nominis impositione, nec abluatur infans nisi in periculo mortis.

Baptisterium in decenti Ecclesiæ loco & quantum fieri potest in extremo navis ex parte Evangelii sit ex marmore vel lapide extructum, quod fontem intus excisum habeat, qui aquam ita continere valeat, ut non diffluat, aut si continere non valeat, sit in eo vas plumbeum mediam ejus partem occupans, ita ut altera fontis pars, in extremo perforata piscinæ locum tenere posset.

Baptisterium istud sit cooperculo diligenter clausum, decenter ornatum, sera & clave ita munitum, ut pulvis & sordes non penetrent; clavem autem custodiat Parochus ejusve Vicarius; habeat Parochus

vas ad hauriendam & infundendam aquam aptum, quod ſit aut argenteum, aut ſtanneum, & caveat ne dum baptiſat, aqua in vas aquæ baptiſmalis diffluat, ſed aut in partem baptiſterii quæ tenet locum Piſcinæ, aut in aliquod vas ad hoc deſtinatum.

****

DE SACRIS OLEIS ET ALIIS REQUISITIS ad Sacramentum Baptiſmi.

C*URET Parochus ut ſingulis annis, Sacrum Chriſma, Oleumque ſanctum vetera comburat, & in Piſcinam mittat; & nova à D. Epiſcopo Feriâ quintâ* in Cœna Domini *benedicta accipiat. Quod ſi deficere videantur, & alia haberi non poſſint, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate.*

Chriſma & Oleum Sacrum ſerventur in ſuis vaſibus argenteis; aut ſaltem ſtanneis benè obturatis, quæ vaſcula ſint inter ſe ita diſtincta, ut unumquodque ſuum contineat Oleum, ſuum habeat bacillum, ſuamque habeat inſcriptionem majuſculis litteris inciſam.

Hæc vaſcula ita parata in loco proprio, honeſto, ac mundo, extra altare ſub clave aſſerventur, ne aut ab aliquo Laïco temerè tangantur, aut iis ſacrilegè quis abuti poſſit.

Non alio ſale utatur Parochus, quàm communi, mundo, benè confracto, & benedictione propriâ ad hoc inſtituta benedicto; & ubi illud in os baptizandi immiſerit, caveat ne reliquum tradat, aut iis qui illud benedicendum attulerint, aut aliis: ſed aut ad alios baptizandos illud ſervet, aut, quod melius eſt, in Sacrarium abjiciat.

*************************o*************************

DE IIS, QUÆ IN PROMPTU ESSE debent ad miniſtrandum Baptiſma.

SUperpelliceum cum duabus ſtolis, aliâ albâ, aliâ violaceâ.
Vaſcula ſacri Olei, tum Chriſmatis, tum Catechumenorum.
Vaſculum cum ſale.

Vaſculum, ſeu cochleare ex argento, aut ſtanno ad hunc tantùm uſum deſtinatum.

Goſſipium, ſtupa, aut quid ſimile ad abſtergendas partes corporis, ſacris Oleis inunctas.

Vas cum manutergio ad lavandas manus Sacerdotis poſt Baptiſmum.

Cereus, ſeu candela cerea accenſa, & in fine, baptizato tradenda, hic denique liber ritualis ſit paratus.

*************************o*************************

DE LIBRO BAPTISMALI.

HABEAT Parochus librum Baptiſmalem à Judice loci quolibet folio obſignatum, in quem referat baptiſmatis, diem, menſem, annum, ac nomina, tum baptizati & Parentis utriuſque, tum Suſceptorum, ſubſignetque cum ipſis Parentibus, aut Suſceptoribus, aut eorum defectu, cum duobus teſtibus.

Si Infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen ſaltem alterius Parentis, ſi de eo conſtat, ſcribatur: ſi verò uterque Parens ignoratur, ſcribat Parochus, ſe tali die baptizaſſe Infantem Maſculum (ſi ſit Maſculus, aut Fœminam (ſi ſit Fœmina) cujus Parentes ignorantur, præſentatum à N. Obſtetrice, aut tali aliâ perſonâ, &c. ut ſupra.

Si expositus sit Infans, exprimatur in libro, quo die, ubi, & à quo sit repertus, & quot dierum verisimiliter sit.

Librum istum Baptismalem diligenter custodiat Parochus sub clave asservatum, neque Laïcorum manibus temerè attrectari, vel foras efferri sinat.

Ubi Parochus è vivis excesserit, hunc librum Baptismalem, & alios tum Matrimoniorum, tum Mortuorum statim præsentibus Parentibus defuncti, aut aliis Parochianis accipiat Decanus loci; ut eos Parocho Successori conservet & tradat; nisi eos Vicario tradendos esse, schedulâ receptionis ab eo acceptâ, melius judicaverit.



ORDO BAPTISMI

PARVULORUM.

Sacerdos Superpelliceo & stolâ violaceâ indutus, adhibito secum Clerico, seu Ministro, ad limen Ecclesiæ procedat; ubi accenso uno Cereo, Patrino & Matrina ad Orientem positis, vultu directo versùs Infantem baptizandum, interrogabit offerentes in hunc modum.



Uel Enfant presentez-vous à l'Eglise?

R. Un Fils (*ou*) Une Fille.

S. Que demande-t-il (*ou* Que demande-t-elle?

R. Le Baptême.

S. Etes-vous le Parrain & la Marraine?

R. Ouy.

S. Voulez-vous vivre & mourir en la Foy Catholique, Apostolique & Romaine?

℟. Ouy moyennant la Grace de Dieu.

S. Quel nom voulez-vous luy donner ?

℟. *N.*

Tunc imposito nomine, Sacerdos ter leniter exsufflet in faciem Infantis & dicat semel.

RECéde Diábole ab hac imágine Dei, increpátus ab eo, & da locum Spirítui Sancto Paracléto.

Deinde pollice dextro faciat signum Crucis in fronte Infantis, nominatim eum appellans & dicens.

N. Signum sanctæ Crucis Dómini nostri Jesu Christi ✠ in frontem tuam pono.

Similiter in pectore, dicens.

N. Signum Salvatóris Dómini nostri Jesu Christi ✠ in pectus tuum pono.

OREMUS.

PReces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exaúdi, & hunc eléctum tuum *N.* (*hanc eléctam tuam.*) Crucis Domínicæ impressióne signátum (*signátam*) perpétua virtúte custódi, ut magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum, ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput Infantis, ac dicat.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum *N.* quem (*hanc fámulam tuam quam*) ad rudiménta Fídei vocáre dignátus es, omnem cæcitátem cordis ab eo (*ab ea*) expélle, disrúmpe omnes láqueos Sáthanæ, quibus fúerat colligátus (*colligáta.*) Aperi ei Dómine já-

nuam pietátis tuæ, ut ſigno ſapiéntiæ tuæ imbútus, (*imbúta*) ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, & ad ſuávem odórem præceptórum tuórum lætus (*læta*) tibi in Eccléſia tua deſérviat, & profíciat de die in diem. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

Deinde Sacerdos benedicet Sal hoc modo.

EXorcízo te, creatúra ſalis, in nómine Dei Patris ✠ omnipoténtis, & in charitáte Dómini noſtri Jeſu ✠ Chriſti, & in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, & pópulo veniénti ad credulitátem per ſervos ſuos conſecrari præcépit: ut in nómine ſanctæ Trinitátis efficiáris ſalutáre Sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te Dómine Deus noſter, ut hanc creatúram ſalis ſanctificándo ✠ ſanctífices, & benedicéndo ✠ benedícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viſcéribus eórum, in nómine ejúſdem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℞. Amen.

Tunc aſpergat ſal aquâ benedictâ. Deinde immittat modicum ſalis benedicti in os Infantis, dicens.

N. Accipe ſal ſapiéntiæ, ut propítius ſit tibi Dóminus in vitam ætérnam. ℞. Amen.

Orémus.

DEus Patrum noſtrórum, Deus univérſæ Cónditor veritátis, te ſúpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum *N.* (*hanc fámulam tuam* N.) propítius reſpícere dignéris, & hoc primum pábulum ſalis guſtántem non diútius eſuríre permíttas, ſed eum (*eam*) cibo rópleas cæléſti, quátenus ſit ſemper ſpíritu fervens, ſpe gaudens,

tibi júgiter sérviens. Perduc eum (*eam*) Dómine ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

EXorcízo te immúnde Spíritus, in nómine Patris ✠ & Filii ✠ & Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas & recédas ab hoc fámulo Dei *N.* (*ab hac famula Dei* N.) Ipse enim tibi imperat maledícte, damnáte; qui pédibus super mare ambulávit, & Petro mergénti déxteram porréxit.

ERgo maledícte diábole, recognósce senténtiam tuam, & da honórem Deo vivo & vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, & Spirítui Sancto, & recéde ab hoc fámulo Dei *N.* quia istum (*ab hac famula Dei N. quia istam*) sibi Deus & Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, & benedictiónem, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

Hîc pollice in fronte signat Infantem, dicens.

Et hoc signum sanctæ Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledícte diábole nunquam aúdeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Mox imponat manum super caput infantis, & dicat.

Orémus.

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, Autor lúminis & veritátis, super hunc fámulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) ut dignéris illum (*illam*) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ, munda eum (*eam*) & sanctífica: Da ei sciéntiam veram, ut dignus (*digna*) gra-

tiâ Baptiſmi tui effé&ctus (*effécta*) téneat firmam ſpem , consílium re&ctum , do&ctrínam ſan&ctam. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos accipiens de ſaliva ſua pollicè dextro, tangat dextram aurem Infantis, dicendo, Ephpheta, quod eſt adaperíre. *Deinde nares, dicendo*. In odórem ſuavitátis. *Poſteà aurem ſiniſtram, dicendo*. Tu autem effugáre diábole, appropinquábit enim judícium Dei.

Abſterſo decenter pollice, moneat Sacerdos Patrinum & Matrinam & circumſtantes, ut orent pro Infante, ad hoc, ut gratiam Baptiſmi accipiat & conſervet, & dicant: Pater noſter. Ave Maria. Credo in Deum. Credo in Spiritum San&ctum.

Deinde Sacerdos Infantem introducat in Eccleſiam, eum tangendo per pannos, dicendo N. Ingrédere in Templum Dómini, ut hábeas vitam ætérnam, & vivas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Interim exutum ab Obſtetrice Infantem uſque ad pectus, accipiant Patrinus & Matrina, teneantque ſupra Fontes, aut potius ſupra Piſcinam Fontibus adhærentem.

Poſtea Sacerdos Infantem proprio nomine interroget, dicens. N. Abrenúntias Sátanæ? *Reſpondent Patrini.* Abrenúntio. *Item Sacerd.* Et ómnibus opéribus ejus? *Reſp.* Abrenúntio. *Sacerd.* Et ómnibus opéribus ejus? *Reſp.* Abrenúntio.

His dictis, Sacerdos Oleo ſancto, ſeu Catechumenorum, pollicem, vel bacillum, qui eſt in vaſe, intingat, & Infantem ungat in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis, dicens.

Ego te línio ✠ (in pe&ctore) Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Dómino noſtro (inter ſcapulas) ut hábeas vitam ætérnam. ℟. Amen.

Tum deponat Sacerdos Stolam violaceam, & ſumat aliam albi co-

loris, si haberi possit.

Subinde pollicem & inuncta loca abstergat bombacio, vel stupa, vel sudariolo ad id servato in baptisterio: & interroget Infantem, pro quo Patrini respondebunt hoc modo.

N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem Cæli & terræ? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum Communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam? ℟. Credo.

Hæc ómnia credis? ℟. Credo.

Tunc expresso nomine Infantis, Sacerdos dicat. N. Vis baptizári? *Resp.* Volo.

Hîc diligenter inquirat Sacerdos, an Infans fuerit baptizatus, & à quo, & quomodo; Et si quidem sufficienti testimonio ei constet domi vel alibi ritè baptizatum fuisse, Chrismate tantùm ungat, & cætera suppleat proüt infra præscribetur. Si verò de ejus baptismo dubitandi justa causa sit, baptizet sub conditione secundùm formam, in generalibus regulis præscriptam. Sin autem constet eum baptizatum non esse. Tunc Patrino vel Matrina, vel utroque (si simul admittantur] Infantem tenente, Sacerdos vasculo accipiat aquam baptismalem, & de ea ter fundat super caput Infantis in modum Crucis, & simul verba proferens, semel tantùm, distinctè & attentè dicat.

N. EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠ *fundat primò,* ET FILII ✠ *fundat secundò,* ET SPIRITUS ✠ SANCTI, *fundat tertiò.*

Deinde intingat pollicem vel bacillum in Chrismate & ungat Infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens.

Deus

DEus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua & Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum [*hîc inungit*] ipse te líniat Chrísmate salútis ✠ in eodem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Tum abstergat unctionem ut supra, & imponat capiti Infantis linteolum candidum loco vestis albæ, dicens.

N. Accipe vestem cándidam, quam immaculátam pérferas ante Tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam. ℟. Amen.

Posteà ponat Cereum accensum in manu dextera Patrini vel Matrinæ, dicens.

N. Accipe lámpadem ardéntem, & irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum; serva Dei mandáta, ut cùm Dóminus vénerit ad núptias, possis occúrrere ei, unà cum ómnibus Sanctis, in aula cæléstì, habeásque vitam ætérnam, & vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postremò dicat Sacerdos.

N. Vade in pace & Dóminus sit tecum. ℟. Amen.

His peractis, tradatur Infans Obstetrici complicandus: & interim Sacerdos solus abluit manus super Piscinam Baptisterii, & Patrinus & Matrina, simul extra Fontes.

Deinde portetur Infans ab Obstetrice ante aliquod Altare, & ibi tradatur Patrino vel Matrinæ. Tum Sacerdos vertens se ad Infantem, & positâ super eum dextrâ extremitate stolæ, dicet.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum Spíritu tuo.

Inítium sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

℟. Glória tibi Dómine.

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in princípio apud

Deum. Omnia per ipſum facta ſunt : & ſine ipſo factum eſt nihil , quod factum eſt. In ipſo vita erat , & vita erat lux hóminum , & lux in ténebris lucet , & ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo miſſus à Deo , cui nomen erat Joánnes. Hic venit in teſtimónium , ut teſtimónium perhibéret de lúmine , ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux , ſed ut teſtimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera , quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat , & mundus per ipſum factus eſt , & mundus eum non cognóvit. In própria venit , & ſui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum , dedit eis poteſtátem Fílios Dei fieri his qui credunt in nómine ejus. Qui non ex ſanguínibus , neque ex voluntáte carnis , neque ex voluntáte viri , ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt , & habitávit in nobis , (& vídimus glóriam ejus , glóriam quaſi unigéniti à Patre) plenum grátiæ & veritátis.

Antiphona. Te invocámus , te laudámus, te glorificámus, ô beáta , benedícta , & glorióſa Trínitas.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc , nunc & uſque in ſæculum.

Orémus.

PRotéctor in te ſperántium Deus , ſine quo nihil eſt válidum , nihil ſanctum : multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam , ut te rectóre , te duce , ſic tranſeámus per bona temporália , ut non amittámus ætérna. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos monebit & hortabitur Patrinum & Matrinam, & astantes hoc sequenti modo, aut proüt habetur in fine hujus Ritualis.


VOus avez aujourd'huy contracté de nouvelles obligations tenant cet Enfant sur les Fonts de Baptême. C'est pourquoy je suis obligé de vous avertir.

1. Que vous devez avoir soin, qu'il soit instruit si-tôt qu'il en sera capable, ou de l'instruire vous mêmes des principaux Mysteres de nôtre Religion, des Vertus qu'il doit pratiquer, & des vices qu'il doit fuir, & luy apprendre l'Oraison Dominicale, la Salutation Angelique, & le Symbole des Apôtres en latin & en françois, & les Commandemens de Dieu & de l'Eglise: & sur tout luy donner bon exemple, & s'il commet quelque faute, l'en corriger charitablement.

2. Je vous charge d'avertir les Pere, Mere, Norrices, & autres qui auront charge de cet Enfant, de ne le point mettre à coucher avec eux en même lit, & de le garantir de tous les dangers qu'ils peuvent & doivent prevoir.

S'il y a grande disparité de qualité entre les Parain & Maraine, & les Pere & Mere de l'Enfant, il doit omettre cet Article.

3. Vous devez vous souvenir que vous avez contracté alliance spirituelle, tant avec cet Enfant, qu'avec son Pere & sa Mere, qui empêche de contracter Mariage.

Enfin je vous exhorte d'offrir cet Enfant à nôtre Seigneur, & le prier de luy faire la grace de conserver l'in-

nocence de son Baptême, & mener une vie vraiment Chretienne.

Tunc Patrinus reddet Infantem Obstetrici.

****

DE IIS,

Quæ observantur, cùm D. Episcopus Baptizat.

P*Ræter ea quæ, ut superiùs, in Baptismo Parvulorum ad litteram observanda sunt: cùm D. Episcopus Baptizat, Clerus Ecclesiæ illius loci adesse debet, tum ut suum cohonestet Episcopum, tum ut ei ministret. Quòd si illius Ecclesiæ Clerus non sit sufficiens, advocentur aliunde Clerici, ut quæ sequuntur ministeria, impleantur.*

Adsint igitur duo Presbyteri D. Episcopo assistentes, eique immediatè ministrantes: adsint duo Clerici in Sacris constituti, qui deferant, alter vas Chrismatis, alter Catechumenorum: Duo alii quorum alter vas salis, alter cochleare deferat: Duo alii, quorum alter vas aquæ cum manutergio, alter vas cum stupa & mica panis deferat: Duo denique, quorum alter Cereum Baptizato tradendum, alter Mitram, Stolam & Pluviale albi coloris deferat, hi omnes hoc ordine bini D. Episcopum præcedant: Eum verò subsequantur quinque alii Ministri, scilicet de Mitra, de Baculo Pastorali, de Candela, de Gremiali, & de Faldistorio: & omnes sint Superpelliceis induti.

Faldistorium propè limen Ecclesiæ paretur, & finito Exorcismo transferatur ad Baptisterium, & in utroque loco ita disponatur, ut sedens D. Episcopus ceremonias omnes, & actus circa Baptizandum facilè exercere possit.

4. *His ita dispositis D. Episcopus ministerio utriusque Pres-*

byteri assistentis in Sacristia super Rochetum induat Amictum, Albam, Cingulum, Stolam violaceam, Pluviale & Mitram ejusdem coloris, Baculumque Pastoralem manu sinistra accipiat: Et præeunte eodem quo superiùs ordine Clero, medius inter duos illos assistentes Presbyteros Pluvialis fimbrias elevantes, manu dexterâ populum benedicens ad limen Ecclesiæ procedat, ibique dimisso Baculo, in Faldistorio sibi parato sedeat: Clerici verò omnes præcedentes ad utrumque ejus latus in modum coronæ stantes, & subsequentes ponò Faldistorium etiam stantes maneant. Et finito Exorcismo D. Episcopus reassumptis Mitrâ & Baculo unâ cum Ministris præcedentibus & subsequentibus, eo quo venerat ordine, procedat ad Baptisterium, ibique ut supra sedeat, omnésque Clerici præcedentes ante eum in modum Coronæ, circa Fontes stent, alii ponè Faldistorium; & eorum omnium quilibet ad signaculum alterutrius Presbyterorum assistentium ministerium suum expleat, & præbeat aut Oleum, aut Librum, aut Mitram, aut Sal, aut Gremiale, & tum in Baptisterio, tum in limine Ecclesiæ.

5. *D. Episcopus ubi sedet, semper cum Mitra sedet: aliquando verò stat cum Mitra, aliquando sine: sedet autem in omnibus interrogationibus, applicationibus Salivæ & Salis, in omnibus Unctionibus, in Baptizando parvulo, in porrectione vestis albæ & candelæ accensæ, & in Exhortatione ad Patrinos & assistentes habenda: stat verò cum Mitra in Exorcismo, sine Mitra in Benedictione Salis, in Orationibus, Evangelio, &c.*

6. *Finito Baptismo D. Episcopus cum Clero eodem quo venerat Ordine Populum benedicendo, ad Altare cætera expleturus revertatur.*

DE BAPTISMO
ADULTORUM.



SI quis Adultus ſit baptizandus, debet priùs ſecundùm Apoſtolicam Regulam in Chriſtiana Fide, ac ſanctis moribus diligenter inſtitui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejúſque voluntas & propoſitum ſæpius explorari, & non niſi ſciens & volens probéque inſtructus baptizari.

At verò ſi quis dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, Baptizaríque voluerit, habita ratione periculi, vel neceſſitatis baptizetur.

Adultorum baptiſmus, ubi commodè fieri poteſt, ad D. Epiſcopum deferatur, ut ſi illi placuerit, ab eo ſolemnius conferatur; Alioquin Parochus ipſe baptizet, ſtatâ cæremoniâ.

Decet autem hujuſmodi Baptiſmum ex Apoſtolico inſtituto, in Sabbato ſancto Paſchatis, vel Pentecoſtes ſolenniter celebrari.

Quare ſi circa hæc tempora Catechumeni ſint baptizandi, in ipſos dies, ſi nihil impediat, Baptiſmum differri convenit.

Verum ſi circa, ſeu poſt tempus Pentecoſtes aliqui converſi fuerint, qui ægrè ferant ſuum Baptiſma in longum tempus differri, & ad illud feſtinent, inſtructíque ac ritè parati eſſe noſcantur, citiùs baptizari poſſunt.

Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia. Patrinus ei assistat, & ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat; nisi mutus fuerit, aut omninò surdus vel ignotæ linguæ. Quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu consensum explicet suum.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem qui adultos baptizabit, quàm ipsos adultos qui sani sunt, convenit esse jejunos.

Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

Amentes & furiosi non baptizentur, nisi tales à nativitate fuerint: Tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus, atque in Fide Ecclesiæ baptizari possunt.

Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur si velint. Si verò antequàm insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis baptizentur.

Idémque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, nisi periculum mortis impendeat, si in eo priùs apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet ut certior fiat de statu & conditione eorum qui baptizari petunt, præsertim exterorum. De quibus facta diligenti inquisitione, num aliàs ritè sint baptizati, caveat ne quis jam baptizatus imperitiâ, vel

errore, aut ad quæſtum, vel ob aliam cauſam, fraude dolóve iterum baptizari velit.

Omnes autem de quibus re diligenter inveſtigata probabilis dubitatio eſt an baptizati fuerint, ſi nihil aliud impediat, ſub conditione baptizentur.

Hæretici verò ad Catholicam Eccleſiam venientes, in quorum Baptiſmo debita forma aut materia ſervata non eſt, ritè baptizandi ſunt: ſed priùs errorum ſuorum pravitatem agnoſcant & deteſtentur, & in Fide Catholica diligenter inſtruantur. Ubi verò debita forma & materia ſervata eſt, omiſſa tantùm ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter Epiſcopo videatur.

Cæterùm legantur, & ſerventur ea, quæ ſupra de Baptiſmo in communi præſcripta ſunt. *Pag.* 3.

ORDO BAPTISMI
ADULTORUM.

In primis Sacerdos, paratis his, quæ ſupra de obſervandis in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi parvulorum dicuntur, indutus Superpelliceo & Stolâ, vel etiam Pluviali violacei coloris, cum ſuis Clericis accedat ad gradus Altaris, & genibus flexis pia mente ad Deum preces effundat, ut tantum Sacramentum dignè valeat miniſtrare, & ad implorandum Divinum Auxilium ſurgens ſe ſignet, & ſi temporis ratio ferat, dicat:

Deus


Eus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Glória Patri. Sicut erat.

Postea incipiat, prosequentibus Clericis. Antiph. Effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, dicit Dóminus.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Quóniam eleváta est magnificéntia tua: super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos: ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut Fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab Angelis, glória & honóre coronásti eum: & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli & pisces maris: qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Glória Patri. Sicut erat.

Psalmus 28.

AFférte Dómino Fílii Dei: afférte Dómino Fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem; afférte Dómi-

no glóriam nómini ejus: adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus Majestátis intónuit: Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: & diléctus quemádmodum Fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis, vox Dómini concutiéntis desértum: & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa: & in Templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri. Sicut erat.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dícitur mihi quotídie, ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, & confessiónis: sonus epulántis.

Quare triſtis es ánima mea : & quare contúrbas me ?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : ſalutáre vultus mei & Deus meus.
Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt : proptérea memor ero tui de terra Jordánis & Hermóniim á monte módico.
Abyſſus abyſſum ínvocat : in voce cataractárum tuárum.
Omnia excélſa tua & fluctus tui : ſuper me tranſiérunt.
In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam : & nocte cánticum ejus.
Apud me Orátio Deo vitæ meæ : dicam Deo ſuſcéptor meus es.
Quare oblítus es mei ? & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus ?
Dum confringúntur oſſa mea, exprobravérunt mihi : qui tríbulant me inimíci mei.
Dum dicunt mihi per ſíngulos dies, ubi eſt Deus tuus: quare triſtis es ánima mea, & quare contúrbas me ?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : ſalutáre vultus mei, & Deus meus.
Glória Patri. Sicut erat.
Et repetitur Antiph. Effúndam ſuper vos aquam mundam. *Quæ repetita, dicitur* Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ Fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, & in poténtia Majestátis adoráre unitátem: quæsumus ut ejúsdem Fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis.

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus, & quod humilitátis nostræ geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur effectu.

DA quæsumus Dómine, elécto nostro (*electæ nostræ*) ut sanctis edóctus (*edócta*) mystériis, & renovétur fonte Baptísmatis, & inter Ecclésiæ tuæ membra numerétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos procedat ad fores Ecclesiæ & stet in limine, Catechizandus verò extra limen. Et Sacerdos interroget eâ linguâ quam Catechizandus intelligat.

Quo nómine vocáris? *Catechumenus respondet N. Sacerdos. N.* Quid petis ab Ecclésia Dei? ℟. Fidem. *Sacerdos.* Fides quid tibi præstat? ℟. Vitam ætérnam. *Sacerdos.* Si vis habére vitam ætérnam, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua, & próximum tuum sicut te ipsum. In his duóbus mandátis tota lex pendet & Prophetæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte veneréris, neque confundéndo persónas, neque substántiam separándo. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, ália Spíritus Sancti; sed horum trium una est substántia, & non nisi una Divínitas.

Et rursus interrogat. N. Abrenúntias Sátanæ? ℟. Abrenúntio.

Interrog. Et ómnibus opéribus ejus? ℟. Abrenúntio.
Interrog. Et ómnibus pompis ejus? ℟. Abrenúntio.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli & terræ? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum & passum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum Communiónem, Remissiónem peccatórum, Carnis Resurrectiónem, vitam ætérnam? ℟. Credo.

Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens.

Exi ab eo spíritus immúnde, & da locum Spirítui Sancto Paracléto.

Hîc in modum Crucis halet in faciem ipsius, & dicat.

N. Accipe Spíritum bonum per istam insufflatiónem, & Dei benedictiónem ✠ Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte, & in pectore, dicens.

N. Accipe signum Crucis tam in fronte ✠ quàm in corde ✠ Sume Fidem cæléstium præceptórum. Talis esto móribus, ut Templum Dei jam esse possis: ingressúsque Ecclésiam Dei evasisse te láqueos mortis lætus agnósce, horrésce idóla; réspue simulácra; cole Deum Patrem omnipoténtem, & Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Hîc advertendum est, quòd dicta verba, Inhorrésce idóla, respue simulácra, *dicantur Catechumeno, qui venit de Gentilitatis errore, seu de Ethnicis & Idolólatris. Catechumeno verò Judæo,*

sive ex Hebræis venienti, loco horum verborum, dicatur; Inhorréſce Judáicam perfídiam, réſpue Hebráicam ſuperſtitiónem. *Saraceno autem, vel Turcæ, aut Persæ, sive alii ex Mahumetanis ad Fidem venienti Catechumeno, loco eorumdem verborum, dicatur;* Inhorréſce Mahuméticam perfídiam, réſpue pravam ſectam infidelitatis.

At hæretico ad Catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus Baptismo debita forma servata non est, Baptizari debet, dicatur; Horréſce Hæréticam pravitátem, réſpue nefárias ſectas impiórum. *Vel exprimatur proprio nomine secta, de qua Catechumenus venit.*

Orémus.

TE déprecor, Dómine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, ut huic fámulo tuo N. qui (*fámulæ tuæ N. quæ*) in hujus ſæculi nocte vagátur incértus ac dúbius (*incerta ac dúbia*) viam veritátis, & agnitiónis tuæ júbeas demonſtrári: quátenus reſerátis óculis cordis ſui, te unum Deum Patrem in Fílio, & Fílium in Patre cum Spíritu Sancto recognóſcat, atque hujus confeſſiónis fructum, & hîc, & in futúro ſæculo percípere mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde signet illum signo Crucis cum pollice in fronte, dicens:

Signo tibi frontem ✠ ut ſuſcípias Crucem Dómini.

In auribus. Signo tibi aures ✠ ut aûdias divína præcépta.

In oculis. Signo tibi óculos ✠ ut vídeas claritátem Dei.

In naribus. Signo tibi nares ✠ ut odórem ſuavitátis Chriſti séntias.

In ore. Signo tibi os ✠ ut loquáris verba vitæ.

In pectore. Signo tibi pectus ✠ ut credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scápulas ✠ ut suscípias jugum servitútis ejus.

In toto corpore illud non tangens manu producit signum Crucis, & dicit :

Signo te totum in nómine Patris, ✠ & Fílii, ✠ & Spíritus Sancti, ✠ ut hábeas vitam ætérnam, & vivas in sæcula sæculórum. ℞. Amen.

OREMUS.

PReces nostras, quæsumus Dómine, clementer exaúdi, & hunc eléctum tuum N. (*hanc eléctam tuam N.*) Crucis Domínicæ, cujus impressióne eum (*eam*) signámus, virtúte custódi, ut magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Orémus.

DEus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis etiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, & novo testaménto sóbolem novæ prolis adscríbe; ut Fílii promissiónis quod non potuérunt ássequi per natúram, gaúdeant se recepísse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Tunc imponat manum super caput electi seu electæ, dicens.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignéris super hunc fámulum tuum N. quem (*hanc fámulam tuam N. quam*) ad rudiménta Fídei vocáre dignátus es, omnem cæcitátem cordis ab eo (*ea*) expélle, disrúmpe omnes láqueos Sátanæ, quibus fúerat colligátus (*colligáta*) Aperi ei Dómine já-

nuam pietátis tuæ, ut ſigno ſapiéntiæ tuæ imbútus (*imbúta*) ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, & ad ſuávem odórem præceptórum tuórum, lætus (*læta*) tibi in Eccléſia tua deſérviat, & profíciat de die in diem, ut idóneus (*idónea*) efficiátur accédere ad grátiam Baptíſmi tui, percépta medicína. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat Sal, dicens.

Exorcízo te creatúra Salis, &c. *ut in ordine Baptiſmi parvulorum*, pag. 13.

Tunc pollice & indice accipit de ipſo Sale, & immittit in os Catechumeni, dicens.

N. Accipe Sal ſapiéntiæ; propitiátio tibi ſit in vitam ætérnam. ℞. Amen.

Pax tibi. ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus Patrum noſtrórum, Deus univérſæ cónditor veritátis, te ſúpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum *N.* (*hanc famulam tuam N.*) reſpícere dignéris propítius, & hoc primum pábulum Salis guſtántem non diútius eſuríre permíttas, quóminùs cibo expleátur cæléſti; quátenus ſit ſemper nómini ſérviens. Perduc eum (*eam*) Dómine, quæſumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promiſſiónum tuárum ætérna præmia cónſequi mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

Quòd ſi Catechumenus fuerit Gentilis, ſeu ex Idololatris venerit ad Fidem, benedicto Sale, priùſquam ejus medicinam guſtet, Sacerdos addat ſequentem Orationem, dicens.

Oremus

Orémus.

DOmine ſanĉte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, qui eras, & qui pérmanes uſque in finem, cujus orígo neſcítur, nec finis comprehéndi poteſt: te ſupplices invocámus ſuper hunc fámulum tuum N. quem (*hanc fámulam tuam N. quam*) liberáſti de erróre Gentílium, & converſatióne turpíſſima, dignáre exaudíre eum, qui (*eam, quæ*) tibi cervíces ſuas humíliat ad lavácri fontem, ut renátus (*renáta*) ex aqua, & Spíritu Sanĉto, expoliátus (*expoliáta*) véterem hóminem, índuat novum, qui ſecúndùm te creátus eſt; accípiat veſtem incorrúptam, & immaculátam, tibíque Deo noſtro ſervíre mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſi maſculus ſit Catechumenus, Sacerdos dicat ſuper eum. Ora eléĉte, fleĉte génua, & dic Pater noſter. *Et electus genuflexus orat, & dicit* Pater noſter. *Et cùm oraverit & dixerit* Pater noſter, *uſque ad* Sed líbera nos à malo, *incluſivè, Sacerdos ſubjungit.* Leva, comple oratiónem tuam, & dic, Amen. *Et ille reſpondet.* Amen. *Et Sacerdos dicit Patrino.* Signa eum. *Deinde electo.* Accéde. *Et Patrinus pollice ſignat eum in fronte dicens:* In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sanĉti. *Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte ejus ita dicendo:* In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sanĉti.

Et imponit manum ſuper eum, & dicit.

Orémus.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Móyſi fámulo tuo in monte Sínaï apparuíſti, & Fílios Iſrael de terra Ægypti eduxíſti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui cuſtodíret eos die ac noĉte, te

quæſumus, Dómine, ut míttere dignéris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui ſimíliter cuſtódiat & hunc fámulum tuum N. & perdúcat eum ad grátiam Baptíſmi tui. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

ERgo maledícte diábole, recognóſce ſenténtiam tuam, & da honórem Deo vivo & vero, da honórem Jeſu Chriſto Fílio ejus & Spirítui Sancto: & recéde ab hoc fámulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus & Dóminus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam grátiam, fontémque Baptíſmatis vocáre dignátus eſt: & hoc ſignum ſanctæ Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledícte diábole, nunquam aúdeas violáre. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Si verò Fœmina ſit Catechumena, Sacerdos dicat ſuper eam. Ora elécta, flecte génua, & dic Pater noſter, &c. *ut ſupra, pag. 33. uſque ad Orationem* Deus Abraham. *Excluſivè.*

Deinde imponat manum ſuper eam, & dicat.

Orémus.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apoſtolórum, Deus Mártyrum, Deus Confeſſórum, Deus Vírginum, Deus ómnium bene viléntium, Deus cui omnis lingua confitétur, & omne genu fléctitur, cæléſtium, terréſtrium & infernórum: te invoco Dómine ſuper hanc fámulam tuam N. ut eam cuſtodíre & perdúcere dignéris ad grátiam Baptíſmi tui. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde dicatur Exorciſmus. Ergo maledícte diábole reco-

gnósce senténtiam tuam, &c. *ut supra*, *pag.* 34.

Super utrumque sive Masculum, sive Fœminam imponat manum super caput ejus, & dicat.

Orémus.

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, Auctor lúminis & veritátis, super hunc fámulum tuum N. ut dignéris eum (*hanc fámulam tuam N. ut dignéris eam*) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ: munda eum (*eam*) & sanctífica, da ei sciéntiam veram, ut dignus (*digna*) efficiátur accédere ad grátiam Baptísmi tui, téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus (*apta*) sit ad percipiéndam grátiam tuam. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

His peractis Sacerdos sinistra manu apprehendens dexteram electi, vel electæ propè brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, introducat eum, vel eam in Ecclesiam, dicens.

N. Ingrédere in sanctam Ecclésiam Dei, ut accípias benedictiónem cæléstem à Dómino Jesu Christo, & hábeas partem cum illo & Sanctis ejus. ℞. Amen.

Et ingressus electus, vel electa procumbat, seu prosternat se in pavimento & adoret. Deinde surgat & Sacerdos imponat manum super caput ejus, & electus, vel electa, cum eo recitet Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam.

CRedo in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli & terræ. Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum Dóminum nostrum. Qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, Passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus & sepúltus. Descéndit ad ínferos, tértia die resurréxit à mórtuis. Ascéndit ad cælos,

ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis. Inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, Sanctam Eccléſiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórum, Carnis reſurrectiónem, Vitam ætérnam. Amen.

PAter noſter, qui es in cælis, ſanctificétur nomen tuum, advéniat regnum tuum, fiat volúntas tua, ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie, & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris. Et ne nos indúcas in tentatiónem. Sed líbera nos à malo. Amen.

Tunc rurſus Sacerdos imponat manum ſuper caput electi, vel electæ, & dicat ſequentem Exorciſmum.

Exorcíſmus.

NEc te latet, Sátana, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem judícii, diem ſupplícii ſempitérni, diem qui ventúrus eſt velut clíbanus ardens, in quo tibi atque univérſis Angelis tuis præparátus ſempitérnus erit intéritus. Proínde damnáte atque damnánde, da honórem Deo vivo & vero, da honórem Jeſu Chriſto Fílio ejus, da honórem Spirítui Sancto Paracléto, in cujus nómine atque virtúte præcípio tibi, quicúnque es, ſpíritus immúnde, ut éxeas & recédas ab hoc fámulo Dei N. quem (*hac fámula Dei N. quam*) hódie idem Deus & Dóminus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam grátiam & benedictiónem, fontémque Baptíſmatis dono vocáre dignátus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regeneratiónis in remiſſiónem ómnium peccatórum. In nómine ejúſdem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Poſtea Sacerdos pollice accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures & nares electi vel electæ: tangendo verò aurem dextram & ſiniſtram dicat.

Ephpheta, quod eſt adaperíre. *Deinde tangendo nares dicat.* In odórem ſuavitátis. *& ſubdat.* Tu autem effugáre Diábole, appropinquábit enim judícium Dei. *Deinde interroget electum.*

Quis vocáris? *Et ipſe reſpondeat. N.*

Interroget. N. Abrenúntias Sátanæ?

℟. Abrenúntio.

Interrog. Et ómnibus óperibus ejus? ℟. Abrenúntio.

Interrog. Et ómnibus pompis ejus? ℟. Abrenúntio.

Tunc Sacerdos intingat pollicem dextræ manus in oleo ſancto Catechumenorum, & inungat electum; primùm in pectore, deinde inter ſcapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te línio óleo ſalútis ✠ in Chriſto Jeſu Dómino noſtro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Pax tibi. ℟. Et cum ſpíritu tuo. *Mox bombacio, vel ſtupâ tergat pollicem & loca inuncta, & ſubjungat, dicens:*

Exi immúnde ſpíritus, & da honórem Deo vivo & vero. Fuge immúnde ſpíritus, & da locum Jeſu Chriſto Fílio ejus. Recéde immúnde ſpíritus, & da locum Spirítui Sancto Paracléto.

Et ducatur electus vel electa ad Baptiſterium, cúmque fuerit propè fontem, Sacerdos interroget. Quis vocáris? ℟. N.

Interrog. N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli & terræ? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Jeſum Chriſtum Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spíritum Sanctum, Sanctam Ec-

cléſiam Cathólicam, Sanctórum Communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, & vitam ætérnam? ℟. Credo.

Iterum interroget dicens: N. Quid petis?

℟. Baptiſmum.

Interrog. Vis baptizári? ℟. Volo.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque [ſi ambo admittuntur] admota manu tenente ſeu tangente electum vel electam aperto capite, & laxatis à collo veſtibus inclinatum, Sacerdos vaſculo vel urceolo hauriat aquam baptiſmalem de fonte, & cum eo ſub trina ſupra caput in modum Crucis infuſione, baptizet electum, ſeu electam in nomine ſanctæ Trinitatis, ſic dicens:

EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠ *fundat primò*, ET FILII ✠ *fundat ſecundò*, ET SPIRITUS SANCTI ✠ *fundat tertiò.*

Si aqua quæ ex capite baptizati vel baptizatæ defluit, non dilabitur in Sacrarium baptiſterii, recipiatur in ſubjecta aliqua pelvi, & in illud poſtmodum projiciatur. Et ſiquidem probabiliter dubitetur an Baptiſmus jam collatus ei fuerit nec ne, ſub conditione tantùm baptizetur ut ſupra pag. 4.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum vel bacillum in ſacrum Chriſma, & perungat verticem electi vel electæ in modum Crucis, dicens.

Deus omnípotens, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regenerávit ex aqua & Spíritu Sancto, quique dedit tibi remiſſiónem ómnium peccatórum, ipſe te líniat Chríſmate ſalútis ✠ in eódem Chriſto Jeſu Dómino noſtro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Tunc bombacio vel ſtupâ pollicem tergat & imponat capiti ele-

cti vel electæ Chrismale, seu candidum linteolum, & det illi vestem candidam, dicens.

Accipe vestem cándidam & immaculátam, quam pérferas ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam. ℟. Amen.

Et electus vel electa deponat priores vestes, & induatur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam à Sacerdote accepit. Postea det ei Sacerdos cereum seu candelam accensam in manu dextra, dicens:

Accipe lámpadem, & irreprehensíbilis custódi Baptismum tuum, ut cùm Dóminus vénerit ad núptias, possis occúrrere ei in aula cæléfti in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Postea dicat Sacerdos. N. Vade in pace & Dóminus sit tecum. ℟. Amen.

Extunc cereum eumdem accensum manibus teneat Neophytus, vel Neophyta usque in finem, prӕterquàm dum confirmatur. Confirmari autem debet, si adsit Episcopus qui id legitimè possit: Deinde si hora congruens fuerit celebrari Missa, cui Neophytus vel Neophyta intersit, & sanctissimam Eucharistiam devotè suscipiat.

****

FORMA BREVIOR BAPTIZANDI in necessitate.



I Infans vel adultus ægrotus adeò graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat, antequàm Baptismus perficiatur, Sacerdos omissis quæ Baptismum præcedunt eum baptizet, ter vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens:
Ego te Baptízo in nómine Patris ✠ &c.

Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum impendeat; Sacerdos utatur aquâ benedictâ ordinariâ, aut ſi deſit, utatur aquâ ſimplici.

Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice, dicens.

DEus omnípotens, Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regenerávit ex aqua & Spíritu Sancto, quique dedit tibi remiſſiónem ómnium peccatórum (*hîc inungit*) ipſe te líniat Chríſmate ſalútis ✠ in eódem Chriſto Jeſu Dómino noſtro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Poſteà det ei linteolum candidum, dicens: Accipe veſtem, &c.

Ac demum det ei cercam candelam accenſam, dicens: Accipe lámpadem, *ut ſuprà. Si ſupervixerit, ſuppleantur alii ritus omiſſi.*

*********************° *********************

QUOMODO PLURES SIMUL BAPTIZARI poſſint.

SI neceſſitas urgeat, plures ſimul tam parvuli quàm adulti utriuſque ſexus baptizari poſſunt; Sed tunc maſculi ad dexteram, fœminæ autem ad ſiniſtram collocari debent. Et cætera quidem omnia pariter in proprio genere & numero plurali dicenda ſunt: Verùm prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio ſeu ſignatio, ſalis datio, tactus aurium & narium cum ſaliva, abrenuntiatiónis interrogatio, unctio olei Catechumenorum, interrogatio de Fide ſeu Symbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio Chriſmatis, candidæ veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio ſingulariter ſingulis, & primùm maſculis, deinde fœminis fieri debent.

Ac

Ac præterea observandum in Baptismo Adultorum, ut quoties plures simul baptizantur, post Salis dationem, & quæ eam sequitur, Orationem, non tantùm dicat Sacerdos in plurali numero super masculos. Oráte elécti, fléctite génua & dícite Pater noster. *cum signatione, Oratione & Exorcismo sequentibus, ut supra pag. 33. Sed etiam secundò dicat super unum tantùm masculum,* Ora elécte, flecte génua, & dic Pater noster, *cum reliquis, ut ibidem usque ad Orationem* Deus Abraham, *exclusivè. Deinde imponat manum super eum, ac dicat.*

Orémus.

DEus immortále præsídium ómnium postulántium; liberátio súpplicum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum; te ínvoco super hunc fámulum tuum N. qui Baptísmi tui donum petens, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderat: áccipe eum Dómine, & quia dignátus es dícere, Pétite & accipiétis, quærite & inveniétis, pulsáte & aperiétur vobis: peténti præmium pórrige, & jánuam pande pulsánti, ut ætérnam cæléstis lávacri benedictiónem consequútus, promíssa tui múneris regna percípiat. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Exorcismus.

AUdi maledícte Sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, & Salvatóris nostri Jesu Christi Fílii ejus, cum tua victus invídia tremens, geménsque discéde, nihil tibi sit commúne cum servo Dei N. jam cæléstia cogitánte, renuntiatúro tibi, & sæculo tuo, & beátæ immortalitáti victúro. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui ex summa cæli arce descéndens, protur-

bátis fraúdibus tuis, divíno fonte purgátum pectus, sanctificátum Deo templum, & habitáculum perfíciat, ut ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberátus servus Dei, grátias perénni Deo réferat semper, & benedícat nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Item super unum masculum tertiò dicat, vt suprà. Ora elécte, flecte génua, & dic Pater noster, &c. *usque ad Orationem,* Deus Abraham, *exclusivè. Deinde imponat manum super eum, dicens.*

Exorcismus.

EXorcízo te immúnde spíritus, In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus Sancti, ✠ ut éxeas & recédas ab hoc fámulo Dei N. Ipse enim tibi ímperat, maledícte, damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, & Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo maledícte diábole, &c. *& repetat totum, ut suprà habetur*, pag. 34.

Ac similiter postquam super plures fœminas dixerit in plurali. Oráte eléctæ, fléctite génua & dícite Pater noster, &c. *Deinde imponens manum super capita singularum in eodem numero plurali dixerit Orationem*, Deus cæli, Deus terræ. *Et Exorcismum*, Ergo maledícte diábole. *Super unam tantùm secundò & tertiò repetat,* Ora elécta, flecte génua, & dic Pater noster, *& reliqua, ut supra,* pag. 33. *usque ad finem Orationis,* Deus Abraham., *quâ finitâ imponat manum super caput ejus, & post tertiam signationem dicat:*

EXorcízo te immúnde spíritus, per Patrem ✠ & Fílium, ✠ & Spíritum Sanctum, ✠ ut éxeas & recédas ab hac fámula Dei N. Ipse enim tibi ímperat, maledícte,

damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, & quatriduánum Lázarum de monuménto suscitávit.

Ergo maledícte diábole, &c. *totum ut suprà.*

****

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER Baptizatum.



Um urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, sive Parvulus, sive Adultus, sacris precibus ac cæremoniis prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo Parvulorum (si fuerit Parvulus) seu Adultorum (si fuerit Adultus) præscriptus est. Excepto quòd interrogatio, an velit baptizari, formáque Baptismi, & ablutio prætermittuntur, & quædam Orationes & Exorcismi suo quique loco immutati, ut infra, dicuntur. Observa tamen, quòd initio ubi Sacerdos petiit:

Que demande-t-il, *on répond*, les ceremonies du Baptême.

Sacerdos igitur antequam immittat Sal in os baptizati, manum super caput ejus imponens, dicat.

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum N. quem (*hanc fámulam tuam N. quam*) dudum ad rudiménta Fídei vocare dignátus es, omnem cæcitátem cordis ab eo (*ea*) expélle, disrúmpe omnes láqueos Sáta-

næ, quibus fúerat colligátus (*colligáta*) Aperi ei Dómine jánuam pietátis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbútus (*imbúta*) ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, & ad ſuávem odórem præceptórum tuórum lætus (*læta*) tibi in Eccléſia tua deſérviat, & profíciat de die in diem, ut idóneus (*idónea*) ſit frui gratiâ Baptíſmi tui, quem ſuſcépit, Salis percépta medicína. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde poſteaquam modicum Salis immiſerit in os baptizati, dicens: Accipe Sal ſapiéntiæ, propitiátio ſit tibi in vitam ætérnam. Amen. *dicat:*

Orémus.

DEus Patrum noſtrórum, Deus univérſæ cónditor veritátis, te ſúpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum N. (*hanc fámulam tuam* N.) reſpícere dignéris propítius: ut hoc pábulum Salis guſtántem non diútius eſuríre permíttas, quóminus cibo expleátur cæléſti, quátenus ſit ſemper ſpíritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nómini ſérviens: & quem ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxíſti, quæſumus Dómine, ut cum fidélibus tuis promiſſiónum tuárum ætérna præmia cónſequi mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt hæc, facto ſigno Crucis in fronte baptizati, dictiſque illis verbis.

Et hoc ſignum Crucis ✠ quod nos fronti ejus damus, tu maledícte diábole nunquam aúdeas violáre. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen. *Manu ſuper caput ejus impoſita, dicat:*

Orémus.

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor luminis & veritátis, super hunc fámulum tuum N. ut dignéris eum (*hanc fámulam tuam N. ut dignéris eam*) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ: munda eum (*eam*) & sanctífica, da ei sciéntiam veram, ut dignus (*digna*) sit frui grátiâ Baptísmi tui, quem suscépit, téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus (*apta*) sit ad retinéndam grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In Baptismo autem Adultorum præter illa, quæ supra notata sunt, quando supplentur omissa, hæc mutari debent; primùm in Exorcismo. Audi maledícte Sátana, *ubi dicitur* (habitáculum perfíciat) *dicatur* habitáculum perfécit. *Deinde in Exorcismo,* nec te latet. *ubi dicitur* (ut fiat) *dicatur*, ut fieret.

Notandum insuper ex responso Gregorii XIII. summi Pontificis ad quæstionem Concilii Rothomagensis de Baptismo à Calvinistis collato, antequam cæremoniæ ab illis omissæ in Adultis suppleantur, præcedere debere abjurationem hæresis & reconciliationem. Idemque de aliorum hæreticorum debitam materiam & formam servantium Baptismo censendum est, juxta distinctionem jam præmissam in generalibus regulis Baptismi Adultorum.

****

MODUS BENEDICENDI AQUAM Baptiſmalem extra Sabbatum Paſchę, & Pentecoſtes, ſi deficiat.



I quo caſu contigerit aquam Sabbato Paſchæ vel Pentecoſtes conſecratam deficere vel corruptam eſſe; nec aliâ uti urgens neceſſitas cogat: Curet Parochus ut quamprimùm lavetur atque mundetur, & limpidâ aquâ repleatur vas Baptiſterii. Dehinc cum ſuis Clericis, Cruce & duobus cereis præcedentibus ac thuribulo & incenſo, & cum vaſculis Chriſmatis & olei Catechumenorum deſcendat ad fontem. Et ibi cantatis vel clara voce dictis Litaniis, proüt in Sabbato ſancto, vel quales poſt ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, poſt ultimum Kyrie eleiſon, *dicat*, Pater noſter, *&* Credo in Deum. *Deinde verſum*, Apud te Dómine eſt fons vitæ. ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, adéſto magnæ pietátis tuæ Myſtériis, adéſto Sacraméntis, & ad recreándos novos pópulos, quos tibi fons Baptíſmatis párturit, ſpíritum adoptiónis emítte; ut quod noſtræ humilitátis geréndum eſt miniſtério, virtútis tuæ impleátur efféctu. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ.

EXorcízo te creatúra aquæ, per Deum vivum ✠ per Deum verum, ✠ per Deum Sanctum, ✠ per Deum, qui te in princípio, verbo separávit ab árida, cujus super te spíritus ferebátur, qui te de Paradíso manáre jussit.

Hîc manu aquam dividat, deinde de ea effundat extra marginem fontis versùs quatuor Orbis partes, prosequens.

Et in quátuor flumínibus totam terram rigáre præcépit, qui te in desérto amáram per lignum, dulcem fecit atque potábilem, qui te de petra prodúxit, ut pópulum, quem ex Ægypto liberáverat, siti fatigátum recreáret. Exorcízo te & per Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui te in Cana Galileæ signo admirábili suâ poténtiâ convértit in Vinum; qui super te pédibus ambulávit, & à Joánne in Jordáne in te baptizátus est, qui te unà cum sánguine de látere suo prodúxit, & Discípulis suis jussit, ut credéntes baptizárent in te, dicens: Ite, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti; ut efficiáris aqua sancta, aqua benedícta, aqua, quæ lavat sordes & mundat peccáta. Tibi ígitur præcípio omnis spíritus immúnde, omne phantásma, omne mendácium eradicáre & effugáre ab hac creatúra aquæ, ut qui in ipsa baptizándi erunt, fiat eis fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam, regénerans eos Deo Patri & Fílio & Spíritui Sancto, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus.

DOmine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, aquárum ſpirituálium ſanctificátor, te ſupplíciter deprecámur, ut ad hoc miniſtérium humilitátis noſtræ reſpícere dignéris, & ſuper has aquas abluéndis & purificándis homínibus præparátas, Angelum ſanctitátis emíttas, quo peccátis vitæ prióris ablútis, reatúque detérſo, purum Sancto Spirítui habitáculum regeneráti effici mereántur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúſdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Tunc ſufflet ter in aquam verſus tres partes ſecundùm hanc figuram ✠ deinde imponat incenſum in thuribulo, & fontem incenſet. Poſtea infundens de oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, clara voce dicat.

Sanctificétur & fœcundétur fons iſte óleo ſalútis renaſcéntibus ex eo in vitam ætérnam. In nómine Patris, ✠ & Fílii, ✠ & Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundat de Chriſmate modo, quo ſupra, dicens:

Infúſio Chríſmatis Dómini Jeſu Chriſti, & Spíritus Sancti Paracléti fiat in nómine ſanctæ Trinitátis. Amen.

Poſtea accipiat ambas ampullas dicti olei ſancti, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo, dicat:

Commíxtio Chríſmatis ſanctificatiónis, & ólei unctiónis, & aquæ Baptíſmatis páriter fiat, in nómine Patris, ✠ & Fílii, ✠ & Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tunc depoſitâ ampullâ, dexterâ manu oleum ſan-

ctum

ctum & Chrisma infusum misceat cum aqua, & spargat per totum fontem. Deinde medullâ panis manum tergat, & si quis baptizandus est, eum baptizet ut supra. Quòd si neminem baptizat, statim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.

DE OBSTETRICIBUS.



Uia in Obstetricibus præter industriam sublevandæ naturæ, pietas etiam singularis, atque in administrando, urgente necessitate, Baptismo solertia requiritur, nec ullæ ad id muneris sine delectu, & nisi ante juratæ debent admitti: Ideò cùm facienda erit Obstetricis electio, dabit operam Parochus ut honestiores & religiosiores suæ Parochiæ mulieres convocentur, has blandè & religiosè alloquendo commonefaciet, ut depositis omnibus odiis & simultatibus, longè etiam abdicato amore & favore, eam suffragiis suis eligant, quam ex omnibus ad hoc munus sincerè obeundum noverint aptissimam & fidelissimam, maximè verò quæ vitam omnem sine suspicione ac labe hæresis, sortilegii & maleficii, & infamiæ fideliter traduxerit.

Hæc cùm à majore parte eáque saniore electa fuerit, per Parochum edocebitur idiomate communi, quæ sit vera forma & materia Sacramenti Baptismi, si forsitan ignara fuerit; proposito in primis ante oculos Dei timore & judicio. Quibus peractis ad juramentum illam ad-

mittet, eo modo qui ſequitur, cujus tenorem illa ipſa leget ſi poſſit: ſin minùs, Parochum verba juramenti alta voce proferentem attentè audiet, & ſingula verba ejuſdem repetet pronuntiando altè, oblato priùs ſacro Evangeliorum codice.

Conſentaneum fuerit, ut in Urbibus populoſis hujuſmodi juramentum ab Obſtetricibus præſtetur in conſpectu Doctoris Medici, unà cum Parocho, qui jusjurandum recipiet. In Oppidis verò & locis campeſtribus in præſentia Chirurgi vel Pharmacopolæ ruſticani.

****

FORME DE SERMENT.



E N. jure & promets à Dieu le Createur Tout-puiſſant, en vôtre preſence, Monſieur, de vivre & de mourir en la Foy Catholique, Apoſtolique & Romaine, & de m'acquiter avec le plus de fidelité, & de diligence qu'il me ſera poſſible, de la Charge que j'entreprens, d'aſſiſter les Femmes dans leurs couches, & de ne permettre jamais, que ny la Mere, ny l'Enfant encourent aucun mal par ma faute: Et où je verray quelque peril eminent, d'uſer du conſeil & de l'aide des Medecins & des Chirurgiens, & des autres Femmes que je connoîtray entenduës & experimentées en cette fonction. Je promets auſſi de ne point reveler les ſecrets des Familles, ny des perſonnes que j'aſſiſteray, & de n'uſer d'aucuns moyens illicites ſous quelque couleur ou pretexte que ce ſoit, par vengeance ou mauvaiſe affection, & n'omettre rien de ce qui ſera de mon devoir à

l'endroit de qui que ce soit ; mais de procurer de tout mon pouvoir le salut corporel & spirituel, tant de la Mere, que de l'Enfant.

Tunc Parochus proferat Librum apertum sancti Evangelii Obstetrici, quæ eum tangat manu dextra, dicens.

Ainsi Dieu me soit en aide & ces saints Evangiles.

SIc juratæ Obstetrici inhibeat etiam Parochus, ne baptizare seu undare (ut loquuntur) ullum infantem præsumat, cùm adfuerit Clericus vel vir alius, qui rectum baptizandi modum sciat, nec aliter quàm in casu extremæ necessitatis, & adhibitis (si possit) duabus saltem honestis mulieribus, quæ rei gestæ cum ea testes sint, monitisque Parentibus ut Infantem, quamprimùm sine vitæ ipsius periculo licuerit, ad Ecclesiam deferant, ubi à Sacerdote Ecclesiasticæ ceremoniæ suppleantur.

****

DE PURIFICATIONE SEU Benedictione mulieris post partum.



Tsi nullo Legis præcepto, ut olim, Puerperis certorum dierum ante ingressum Ecclesiæ purgatio indicta sit, piâ tamen atque laudabili consuetudine ubique invaluit, ut eo ingressu aliquamdiu ex veneratione, & ad majorem suæ humilitatis demonstrationem abstineant, cúmque primùm gratias Deo acturæ ad Ecclesiam post partum redeunt, Sacerdoti purificandas seu ad instar purificationis benedi-

cendas se offerant. Nec temerè quidem sine veniá judicis Ecclesiastici debent illæ mulieres ejus benedictionis solennitate honorari, quas ex illicita commixtione peperisse constiterit. At cum aliis devotè eam petentibus, quocumque die commodum fuerit, & sine ullo dierum discrimine, hoc ordine procedendum.

In limine Ecclesiæ, si commodè potuerit, vel ante Imaginem Crucifixi genua flectat Puerpera, cereum accensum manu tenens. Eam ibi Parochus, aliusve ejus vice Sacerdos Superpelliceo & Stolâ indutus, vel etiam Albâ indutus, si Missam celebrare intendit, aquâ benedictâ aspergat, dicens.

Aspérgat te Deus rore grátiæ suæ in vitam ætérnam. Amen.

Ant. Anima mea illi vivet, & semen meum sérviet ipsi.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes: & collaudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio & nunc & semper: & in sæcula sæculórum. Amen.

Et repetitur Antiphona. Anima mea illi vivet, & semen meum sérviet ipsi. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvam fac ancíllam tuam.

℟. Deus meus ſperántem in te.
℣. Mitte ei Dómine auxílium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eam.
℣. Eſto ei Dómine turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum, fidélium pariéntium dolóres in gaúdium convertíſti, concéde propítius, ut hæc fámula tua, quæ te fæcunditátis ſuæ autórem, & ſervatórem læta cognóvit, ejúſdem beátæ Maríæ méritis & interceſſióne, ad ætérnæ beatitúdinis gaúdia, unà cum prole ſua, perveníre mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem Stolæ, eam introducat in Eccleſiam, dicens.

Ingrédere in domum Dómini, adóra Fílium beátæ Maríæ Vírginis, qui tibi fœcunditátem tríbuit prolis.

Poſtea Miſſam, ſi fieri poteſt, devotè audiat, quæ (niſi Dominica aut Feſtum duplex occurrat) celebrari poterit de Beata, vel alia ad devotionem. Eâ autem celebratâ, Sacerdos panem oblatum modo ſequenti benedicat.

BENEDICTIO PANIS.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℞. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Orémus.

BEnedic Dómine hanc creatúram panis, qui benedixíſti quinque panes in deſérto, ut mandúcans eum fámula tua, purgáta à vítiis, ſalútem conſequátur mentis & córporis, In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus Sancti. ℞. Amen.

Deinde aſpergat panem aquâ benedictâ, & mulieri adhuc genuflexæ tradat. Tum demum dicat ſequens Evangelium.

℣. Dóminus vobíſcum. ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

IN illo témpore: poſtquàm impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecúndùm Legem Móyſis, tulérunt Jeſum in Jerúſalem, ut ſiſterent eum Dómino (ſicut ſcriptum eſt in Lege Dómini: quia omne maſculínum adapériens vulvam ſanctum Dómino vocábitur:) Et ut darent Hóſtiam ſecûndùm quod dictum eſt in Lege Dómini, par Túrturum, aut duos pullos Columbárum. Et ecce homo erat in Jerúſalem, cui nomen Símeon: Et homo iſte juſtus & timorátus, expéctans conſolatiónem Iſrael, & Spíritus Sanctus erat in eo. Et reſpónſum accéperat à Spíritu Sancto, non viſúrum ſe mortem, niſi priùs vidéret Chriſtum Dómini. Et venit in ſpíritu in Templum. Et cùm indúcerent Púerum Jeſum Paréntes ejus, ut fácerent ſecúndùm conſuetúdinem Legis pro eo; & ipſe accépit eum in ulnas ſuas, & benedíxit eum, & dixit: Nunc dimíttis ſervum tuum Dómine, ſecúndùm verbum tuum in pace. Quia vidérunt óculi mei, ſalutáre tuum. Quod pa-

ráſti ante fáciem ómnium populórum. Lumen ad revelatiónem géntium, & glóriam plebis tuæ Iſrael. ℟. Deo gratias.

Deinde dicit Antiphonam. Te invocámus, te adorámus, te laudámus, te glorificámus, ô beáta & glorióſa Trínitas.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Orémus.

PIetáte tua, quæſumus Dómine, hanc fámulam tuam córpore páriter & mente puríſica, ut nóxias carnis illécebras, & mundi blandiménta, ac diabólica contãgia ſic devíncat, ut grátiam tuam in præſenti & glóriam in futúro ſæculo obtinére mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Mox ipſam benedicat, dicendo.

Benedícat & cuſtódiat te omnípotens & miſéricors Dõminus Pater, ✠ & Fílius, & Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Et denique aſpergat aquâ benedictâ.

QUòd ſi purificanda ſit, quę ex illicito coitu peperit, & litteras purificationis à Judice Eccleſiaſtico impetraverit, vel quæ abortum fecerit, omiſſis illis omnibus, quæ ante Miſſam notata ſunt, eam in ingreſſu Eccleſiæ, vel juxta Imaginem Crucifixi aquâ benedictâ aſpergens Sacerdos, dicat.

In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen.

Aſpérges me Dómine hyſſopo, & mundábor: lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Deus misereátur tui & benedícat tibi : illúminet vultum suum super te, & misereátur tibi.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat, &c.

Ingrédere in domum Dómini, & adóra Fílium sanctæ Vírginis Maríæ, ut tibi fiat propítius.

Deinde Missam incipiat, & cætera persequatur ut supra.



DE SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS.



Sacramentum Confirmationis à Christo institutum esse Fide credendum est, quo Fideles per Baptismum geniti, augentur in Fide, corroborantur & perficiuntur.

Ideo ad salutem ita utile esse agnoscimus, ut vix à Fidelibus omitti possit, quin negligentia culpabilis committatur.

Quare sui muneris esse sciant Parochi, ut hortentur Parochianos suos ad tantum Sacramentum semel & bene recipiendum, doceantque illos, quid illud sit, quem ejus ministrum, quos effectus pariat, & quam in suscipientibus requirat dispositionem?

Singulis annis Dominum Episcopum adeant ipsi Parochi, & ab eo discant tempus, quo hoc Sacramentum sit administraturus: & statis die & loco per domos & familias suæ Parochiæ diligenter sciscitentur, & prævideant quinam hoc Sacramento insigniti non sint? Quinamve, tum ætate, tum maturitate, tum moribus ad hujus Sacramenti susceptionem sint admittendi.

Facta

Facta hac inquisitione, eos erudiant, & quos in ætate ad minùs novem annorum (nisi malitia suppleat ætatem) sufficienter edoctos & præparatos invenerint, eos præviâ peccatorum Confessione, ad D. Episcopum adducant, aut per alium Sacerdotem adduci curent: ita ut nullus recipiat hoc Sacramentum, nisi probatus ante, & cognitus; idque oneris incumbat conscientiæ Parochi.

Sacramenti hujus materia est Chrisma, seu unguentum, ex oleo Olivarum & balsamo ab Episcopo consecratum; oleum enim quod pingue est, effunditur, & plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti, à Christo Capite in nos defluentem optimè exprimit, sicut & balsamum bonum Christi odorem, quem quisque Fidelis coram Deo, Angelis & Hominibus perferre tenetur.

Formam hujus Sacramenti hanc agnoscimus. Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis. In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti.

Potestate ordinaria hujus Sacramenti Minister, est Episcopus: nam si Sacerdotum est in Baptismo Christianos efficere; Episcoporum est eos in confirmatione perficere.

Sacramentum istud caracterem imprimere inficiatur nemo, ideo iterari minimè licet.

Ministratur 1° *cum signo Crucis in fronte, ut sciat Confirmandus se signari ut militem Christi, qui non debet erubescere Evangelium, imò tenetur ubique se Christianum profiteri, & nullo metu, aut terrore, aut pœnâ à Confessione Fidei abstinere, ubi tenetur.* 2° *cum percussione in maxilla, ut sciat Confirmandus se semper paratum fore, ad omnia pro Christi nomine perferenda.* 3° *Denique datur illi pax, ut sciat se debere hanc pacem cum omni studio conservare cum Deo, seipso & proximo.*

Patrinus & Matrina sicut in Baptismo assumuntur, ideóque eadem ac in ipso affinitas contrahitur: unde melius est ad tale mu-

nus viros Ecclesiasticos assumere.

Potest Dominus Episcopus Confirmandorum nomina mutare, præsertim si non sint Sanctorum novi Testamenti, aut veteris usu recepta, possuntque & ipsi confirmandi ea mutare, modò tamen fraus & dolus absint.

Confirmati post unctionem non abeant, quin priùs aut bandellis ligentur in fronte (qui postero die à Presbytero cum abstersione frontis tollantur) aut statim post unctionem stupâ vel micâ panis à Presbytero tergantur.



DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.



Acramentum Pœnitentiæ à Christo Domino ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam restituendos, institutum est.

Ejus materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, proxima sunt actus Pœnitentis, Contritio scilicet, Confessio & Satisfactio. Forma verò sunt hæc verba: Ego te absolvo, &c.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos potestatem habens, vel ordinariam, vel delegatam: Nullus tamen Sacerdos etiam Doctoris laurea, vel dignitate insignitus, sive regularis, sive sæcularis parochiale Beneficium non obtinens, potest extra mortis periculum Laïcos, Ecclesiasticos, & Moniales absolvere; nisi priùs à D. Episcopo, vel ejus Vicario generali, juxta Concilium Trident. & Constitutiones Apostolicas approbatus fuerit.

Noverit insuper quilibet Sacerdos sæcularis aut regularis ita approbatus, sibi non licere ægrotantium Confessiones domi excipere, nisi priùs de ipsorum Parochi consensu sufficienter sibi constiterit.

Caveat Sacerdos ne ad hoc Sacramentum ministrandum accedat aliquo censuræ vinculo innodatus, aut curiositate, aut sensualitate, aut lucri cupiditate motus.

Ita sit affectus erga quoslibet Pœnitentes, ut nulla sit personarum acceptio, & omnibus, sive pauperibus, sive divitibus, sive miseris æqualis pateat ad ipsum accessus. Potest tamen prudenter aliquam rationem habere præcipuè erga infirmos & mulieres gravidas.

Saluti Pœnitentis ita sit intentus, ut toto animo ejus conscientiæ statui cognoscendo se applicet, nec eum dimittat, quin priùs aut Deo reconciliarit, aut eum consolatus fuerit, aut per consilia, per monita, instructiones, prohibitiones, pœnitentias, &c. ad remissionem peccati obtinendam præpararit.

Nullus se immisceat hujus Sacramenti administrationi, quin priùs prudentiam & scientiam requisitas habere comprobetur, ita ut lepram à lepra dignoscere valeat; sciat quibusnam sit conferenda, quibusnam differenda, & quibusnam neganda Absolutio. Sciat casus tum Summo Pontifici, tum D. Episcopo Bajocensi reservatos. Theologiam Moralem, seu casus conscientiæ ita calleat, ut si difficultates occurrentes solvere non valeat: valeat saltem de iis dubitare, ut peritiores consulere possit. Sciat denique ut peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, tum consilio, tum instructione, tum consolatione, tum prohibitione, tum salutaris pœnitentiæ injunctione, tum denique frequentiori, vel rariori communione.

In Ecclesia, non autem in privatis Ædibus Confessiones audiat, (nisi ex causa rationabili) & ad id habeat sedem Confessionalem

quæ habeat fenestram ante apertam, & in utroque latere fenestellas crates perforatas, aut cancellis ferreis vel ligneis obseptas, quibus vox Pœnitentium transmitti possit, & omnis oris aut vultûs contactus prohiberi. Sciatque Sacerdos sibi nunquam licere audire Pœnitentes alterius sexus ad januam sedis Confessionalis genuflexas, nec oculos in vultum Pœnitentis defixos habere

Ita se prudenter gerat erga personas alterius sexus, ut non sit ipsis, nec ipsæ sibi causa ruinæ: ideo se abstineat ab omnibus verbis vanis & superfluis, & curiosis interrogationibus, brevitatique studeat.

Sciat sigillum Confessionis ita inviolatum custodire, ut nec peccata, nec dispositiones Pœnitentis, nec quid actum sit inter se & Pœnitentem directè aut indirectè, expressè aut tacitè, verbo, signo, scripto, aut alio quovis modo detegat. Caveat quoque, ne dum Confessiones excipit, aliquo verbo, gestu, actu, irâ, severitate, tædio, commiseratione, minis, objurgationibus, aut consolationibus indicet dispositiones aut peccata Pœnitentis.

Parochus hortetur Fideles sibi commissos, ut frequenter ad Confessionem accedant, moneat eos ex canone omnis utriusque sexus, *ex Conc. Later. teneri semel in anno sibi, aut alteri de sui ipsius licentia confiteri.*

Sui muneris esse sciat, ut Parochianos edoceat multos esse casus, in quibus Sacramentali Confessione se munire debeant, ut cùm subest mortis periculum, cùm aliquod aliud Sacramentum sunt recepturi, & sunt in conscientia peccati mortalis, & ut volunt aliqui, mulieres primogenituræ.

Caveat Confessarius, ne cujusvis Confessionem excipiat, nisi priùs sciat se habere super eum Jurisdictionem, aut ordinariam, aut delegatam.

Ubi Confessarius advertit Pœnitentem suâ negligentiâ non esse

paratum, ſive ob defectum examinis, ſive contritionis, eum remittat. Si poſt hanc præparationem nequeat confiteri, ſive imbecillitatis, ſive ruſticitatis, aut ignorantiæ causâ, tunc tenetur eum interrogare, & ad hoc prævium quoddam generale examen in mente habere, ſive ſit ſequens, ſive aliud, quo erga Pœnitentem prudentiſſimè utetur.

Sed caveat ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios, eos de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indéque peccare diſcant, præſertim circa primum & ſextum præceptum.

Auditâ Confeſſione, pro peccatorum gravitate & numero, ac Pœnitentis conditione opportunas correptiones ac monitiones, proüt opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit: & Pœnitentem ad dolorem de peccatis, efficacibus verbis adducere conabitur, eique ſalutarem & convenientem ſatisfactionem, quantum prudentia ſuggeſſerit, injunget; habitâ ſemper ratione ſtatûs, conditionis, ſexus, ætatis, & diſpoſitionis Pœnitentium.

Pœnitentias tamen pecuniarias, aut rerum pretio æſtimabilium ſibi ipſis Confeſſarii nunquam applicent, neque Miſſæ Sacrificium pro pœnitentia à ſe injunctum, aut celebrent, aut celebrari faciant, & inde à Pœnitente honorarium accipiant; nec quicquam ab eo, tanquam miniſterii Confeſſionis prœmium petant.

Diligenter caveat Confeſſarius, ne indignis beneficium abſolutionis impertiatur, ideo illud, proüt prudentia exigit, aut differat, aut neget, iis præcipuè, qui nulla dant ſigna doloris, qui ſunt in habitu peccati mortalis, aut in occaſione proxima peccati, aut dant aliis occaſionem peccandi, aut bona aliena detinent; iis qui à ſe offenſis reconciliari, vel ſatisfacere, aut inimicitias deponere nolunt; iis qui ſine jure lites ſuſcipiunt, aut ficta, ſeu falſa jura

in ruinam proximi emunt ; iis qui Mysteria ad salutem necessaria ignorant ; Judicibus, qui jus cuique non tribuunt, aut nisi priùs acceptis muneribus, aut etiam solutâ vel promissâ pecuniâ, aut aliqua simili de causa ; Peccatoribus publicis & scandalosis ; Ecclesiasticis ad Beneficia aut Simoniacè promotis, aut in Beneficio non residentibus. Iis, qui diebus Dominicis & Festivis opera servilia absque necessitate exercent ; Thesaurariis denique & aliis Ærarii Ecclesiæ administratoribus, qui moniti computa sua reddere nolunt.

Poterit quilibet Sacerdos quemlibet Pœnitentem in periculo mortis constitutum, ab omnibus peccatis & censuris etiam Episcopo, aut Summo Pontifici reservatis absolvere : si tamen periculum mortis evaserit, Superiori se sistat, non propter peccata reservata, sed ne in censuras reincidat.

Quòd si Pœnitens inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, voce & loquelâ deficiat ; Sacerdos nutibus & signis conetur (quoad fieri poterit) Pœnitentis peccata cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel si tantùm confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Sacerdos ad Fidelium Confessiones excipiendas vocatus, priúsquam id munus obeat, Superpelliceum induat, & pro temporis opportunitate fusis ad Deum precibus oret, ut pro ipsius gloria, & Pœnitentium salute Sacramentum hoc ritè administrare valeat : id autem præstet hoc vel simili modo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens propítius esto mihi peccatóri, qui me indígnum Sacerdotális officii minístrum, exigúmque mediatórem ad intercedéndum apud Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum constituísti pro peccatóribus, & ad Pœniténtiam reverténtibus :

Ideóque dominátor Dómine, qui omnes hómines vis salvos fíeri, & ad agnitiónem veritátis veníre, qui non vis mortem Peccatórum, sed magis ut convertántur & vivant, súscipe oratiónem meam, quam pro fámulis & famulábus tuis fundo, qui ad Pœniténtiam véniunt, ut des illis spíritum compunctiónis, ut resipíscant à Diáboli láqueis, quibus astricti tenéntur, & ad te per condígnam satisfactiónem revertántur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.



FORMA EXAMINIS

QUO SACERDOTIS POENITENTIUM Confessiones excipientis memoria juvari poterit.



Nte omnia Confessarius proüt novit aut non novit Pœnitentem, ab eo prudenter sciscitabitur, à quo tempore fuerit confessus? num eum conscientia remordeat, quòd fortè aliquam è Confessionibus præteritis invalidam & sacrilegam fecerit, eámque non repararit? Invalida autem est Confessio maximè, si Pœnitens vel peccatum omiserit mortale, eò quòd examen non præmiserit, vel omiserit scienter, vel dolorem de peccato non conceperit, vel habuerit voluntatem adhuc peccandi mortaliter, vel non deserendi proximam peccati occasionem, vel inimicitias non deponendi, aut non restituendi bona aut famam proximi quæ abstulit; si absolutus fuerit ab eo, qui aut

potestatem non habebat, aut surdus erat: in his enim casibus & aliis vulgò nulla est Confessio, & iteranda.

INTERROGATIONES.

Circa primum mandatum, quod est colere Deum super omnia.

Circa Fidem.

An crediderit omnia quæ sancta Romana Ecclesia credit?

An habuerit opinionem in aliqua re Fidei Romanæ contrariam, & qua in re?

An verbis, vel signis externis, infidelitatem aliquam vel hæresim prodiderit vel probaverit, etiam solus nullo audiente, & contra quem Fidei articulum?

An fuerit nimium curiosus in investigandis rebus Fidei?

An volens & sciens de aliquo Fidei articulo dubitaverit, & de quo?

An negligens fuerit ad repellendas tentationes contra Fidem, vel ipsis consenserit, & contra quem articulum?

An Hæreticorum concionibus & cæremoniis interfuerit, & quo animo?

An frequenter versetur cum Hæreticis, & imprudenter cum eis disputet: an eis faveat?

An apud se habuerit, vel legerit Libros Hæreticorum, aut Magiæ, aliósve Libros ab Ecclesia prohibitos, & qua de re illi tractent?

An sciverit & etiamnum sciat omnia ad salutem necessaria; ut sunt præcipua Mysteria Fidei, nempe Trinitatis & Incarnationis

tionis Domini nostri Jesu Christi & mandata Dei & Ecclesiæ : An etiam sciverit & sciat Symbolum Fidei , Orationem Dominicam, & quæ ad suum officium , statum & genus vitæ spectant ?

An interfuerit publicis instructionibus, quæ Festis ac Dominicis diebus fiunt in Ecclesia Parochiali , in quibus ea omnia exponuntur & docentur?

An usus sit aliquo genere superstitionum , incantationum , divinationum & maleficiorum , per se , vel per alios?

An schedulas superstitiosas apud se habuerit, ad sanitatem aliamve rem obtinendam , & an alios induxerit ad illarum usum?

An fidem adhibuerit somniis , auguriis , vel sortibus illicitis , accipiendo illa pro regula actionum suarum ?

An faustorum , infaustorumque dierum observatione , liminis calcatione , cæterisque hujusmodi vanis observationibus sit usus , aut ad earum usum alios induxerit?

An verbis Scripturæ sacræ, aut cæremoniis Ecclesiæ abusus sit in jocis & scurrilibus?

Contra Spem.

AN nimiùm præsumendo de divina Misericordia liberiùs commiserit aliquod peccatum , vel in malo perseveraverit differendo emendationem?

An diffidendo divinæ Misericordiæ desperaverit de emendatione vitæ , vel remissione peccatorum obtinenda , vel de propria salute , quasi esset de numero reproborum ?

Circa Charitatem.

AN murmuraverit contra Deum conquerendo , quasi non esset justus , vel reprehendendo ejus Providentiam , quia nos privat , aut non concedit , quæ optamus?

An exposuerit se periculo peccandi mortaliter , vel an complacuerit sibi in peccato olim commisso , & in quo , seu in quibus ?

An in quempiam odium habuerit, & quanto tempore in eo perseveraverit?

An eleemosynas dederit, cùm deberet?

An correptionem fecerit, ordinemque debitum servaverit?

An aliquam acediæ speciem admiserit?

An invidus fuerit?

An exercuerit discordiam, contentionem, rixam, seditionem?

An in bello injusto arma gesserit?

An scandalum dederit?

An persecutus sit & calumniatus homines pios, vel detraxerit de bonis eorum operibus, & impedierit ne illa facerent; & an sine causa rationabili impediverit aliquem, ne ingrederetur Religionem?

An superbus fuerit?

An judicaverit se bona quæ habet corporis, animæ & fortunæ, non habere à Deo, sed à se & suâ industriâ: aut siquidem judicat se illa habere à Deo, sed tamen præsumit se propriis meritis, sine divina Gratia accepisse, non dando per omnia gloriam Deo?

CIRCA II. PRÆCEPTUM.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

AN juraverit verum, sed sine necessitate?

An juraverit de re quam sciebat vel dubitabat esse falsam, etiam in re levi?

An juraverit, promittendo quod postea sine causa rationabili non observaverit, aut intentionem habuerit non servandi cùm juraret, etiamsi fuerit in re levi?

An juraverit minando alicui sine intentione exequendi juramentum, etiamsi in re levi?

An juraverit, vel etiam habuerit consuetudinem jurandi, non curando aut non considerando, num verè vel falsò juraret?

An causam dederit alicui ut falsum juraret, vel non observaret juramentum licitum?

An juraverit adjuncta maledictione, verbi gratiâ auferat me Diabolus: tale malum mihi eveniat, si non fecero, &c.

An juraverit se aliquod peccatum, præsertim mortale commissurum, & quodnam illud sit, aut nihil boni facturum, vel non servaturum aliquid Consiliorum Evangelicorum?

An in judicio juraverit falsum, vel juridicè interrogatus non responderit conformiter intentioni Judicis, vel consilium dederit aliis id faciendi: quo casu non solùm peccat mortaliter; verùm etiam obligatur ad restitutionem, si inde secutum est aliquod damnum proximi?

An blasphemaverit Deum, aut Sanctos, & an usus sit maledictione, execratione, contumeliâ in Deum & Sanctos?

An Diaboli invocatione usus sit, ejus auxilium ex animo poscendo?

An se ipsum illi devoverit, corpus vel animam ei dederit; aut filios, servos & proximos?

An fecerit votum aliquod bonum faciendi, & non curarit exequi, vel executionem distulerit in longum tempus. Et idem dicendum de opere, in quod votum aliquod commutatum est à Confessario habente potestatem?

An voverit aliquid cum intentione non adimplendi votum?

An voverit se bonum aliquod non acturum, aut aliquid mali facturum, aut bonum quidem facturum, sed propter malum finem?

An temerè, & cum superstitione voverit?

CIRCA III. PRÆCEPTUM.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

AN dies Festos violaverit, faciendo, vel mandando aliis opera prohibita ab Ecclesia, vel consentiendo illis qui faciunt?

An omiserit audire Missam, aut ejus notabilem partem diebus Dominicis & Festis, quæ sunt in Præcepto, sine causa legitima, vel evidenti periculo non audiendi se exposuerit; vel causam aliis dederit simile faciendi?

An per notabile temporis spatium in Missa diebus Dominicis & Festis fuerit voluntariè distractus omninò, loquendo, ridendo, vel occupando se in rebus inanibus absque debitâ attentione?

An venerit in Ecclesiam malo animo, verbi gratiâ ad videndum aliquos, vel cum iis colloquendum prava intentione, & an malum aliquod in ea commiserit?

An contempserit, vel neglexerit interesse Missæ Parochiali, Vesperis, Concionibus ac Catechismis, & curaverit, ut sibi subditi iis interessent?

An neglexerit interesse Vesperis, Concionibus & Catechismis, & curare ut sibi subditi eis interessent?

An inutilia itinera aggressus sit, exponendo se periculo non audiendi Sacrum die Festo, vel Choreis, ludis & deambulationibus vacando: & ad hæc alios induxerit?

An Officium divinum interturbarit clamoribus & colloquiis, & deambulationibus in Templo?

An confessus sit saltem semel in anno (idque proprio Sacerdoti) aut non curarit ut idem faciant omnes suæ curæ subjecti?

An confessus sit non facto examine conscientiæ, vel non con-

cepto dolore peccati , vel sine proposito deserendi aliquod peccatum mortale ; vel ex pudore, aliave de causa reticuerit aliquod peccatum mortale , vel ex negligentia seu defectu sufficientis examinis non integrè omnia peccata mortalia aperuerit in Confessione ?

An quovis anno, tempore Paschæ communicarit in sua Parochia; eâque dispositione quâ oportet ?

An cum conscientia certa , vel dubia peccati mortalis receperit, vel absque necessitate administraverit aliquod Sacramentum Ecclesiæ ?

An jejunaverit per Quadragesimam & Vigilias , & quatuor Tempora , ubi annum 21. explevit , qua in ætate quisque tenetur , nisi causa rationabilis eum excuset , & an his diebus usus sit cibis prohibitis , aut aliis dederit causam idem faciendi ?

An propter gulam non curarit transgredi aliquod Præceptum ?

An intemperantius comederit , vel biberit cum notabili damno sanitatis ?

An Sponte se inebriarit , aut alios invitaverit ?

An violaverit Ecclesiam aliquo peccato carnis , vel effusione sanguinis ?

An incurrerit aliquam excommunicationem , vel excommunicatus particeps fuerit alicujus Sacramenti ?

An censuram aliquam Ecclesiasticam incurrerit , aut eâ irretitus contrarium quid ac prohibitum admiserit ; de irregularitate similiter ?

An contumeliâ aliquâ , vel irreverentiâ affecerit Imagines , Reliquias Sanctorum , aliasve res sacras , ut Sacramenta & Ecclesiæ cæremonias ?

An obligatus ad recitandum Breviarium , omiserit recitare , sive totum , sive partem & quotam partem , & an recitando illud, fuerit voluntariè distractus , & num in notabili parte Officii. Quod si

Beneficium Ecclesiasticum habeat, præter reatum peccati mortalis, quod incurrit, majorem divini Officii partem ex suâ culpâ omittendo, tenetur ad restitutionem fructuum?

An ex pigritiâ, vel tædio rerum spiritualium bonum aliquod opus, quod facere tenebatur, omiserit?

CIRCA IV. PRÆCEPTUM.

Honora Patrem & Matrem.

AN offenderit illos factis, vel verbis contumeliosis, detractoriis, aut irrisoriis, vel etiam eosdem contempserit?

An maledixerit Patri vel Matri, vel in eorum absentia eos execratus sit, & dedecore affecerit?

An Parentes ad iracundiam provocaverit, aut contristaverit?

An eos odio habuerit, temerè de iis judicarit, vel suspicatus sit: an inimicitias, & rancorem adversus eos retinuerit, & quamdiu?

An obediverit Parentibus, vel Superioribus Ecclesiasticis, aut sæcularibus in rebus justis?

An deliberatè optaverit aliquod eorum damnum grave, vel etiam mortem ad obtinendam eorum hæreditatem?

An executus sit Testamenta & ultimas voluntates Defunctorum, aut eas absque legitimâ causâ nimium distulerit, quo in casu tenetur ad reparandum damnum illatum?

An ex nimio Parentum amore parvi-penderit offendere Deum?

An observaverit leges justas & statuta Superiorum?

An detraxerit, vel malum aliquod dixerit de Superioribus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, aut etiam de Religiosis, Sacerdotibus, & quid mali inde secutum sit?

An subvenerit cùm posset Parentibus in necessitate, & an durus nimis fuerit, & crudelis erga eos, tractando eos asperè vel

verbis, vel factis?

An Parentes maledixerint Filiis suis?

An educaverint eos sicut debent, instituendo eos in Oratione & Doctrina Christiana, reprehendendo quoque illos & castigando, maximè in materia peccati, occupando etiam illos honesto exercitio, ne sint otiosi & vias ingrediantur malas?

Quod dicitur de Filiis, intelligitur quoque de servis & aliis domesticis, quorum curam habere Domini eorum tenentur; ut nempe discant necessaria ad salutem, & observent mandata Dei atque Ecclesiæ; tenentur etiam servis suis atque ancillis ægrotantibus pro viribus subvenire?

CIRCA V. PRÆCEPTUM.

Non occides.

AN optaverit vindictam ex livore vel malevolentia?

An optaverit alicui mortem, damnum corporis, honoris, famæ, bonorum tam spiritualium, quàm temporalium?

An irâ commotus fuerit in aliquem cum intentione nocendi illi; & an graviter?

An homicidium perpetrarit opere, voluntate, consilio, sortilegiis, venenis, aut aliter?

An causam dederit abortûs vel Infanticidii, non adhibitâ debitâ diligentiâ in vita puerorum tuenda?

An contendendo cum aliis, verberaverit aliquem, vel vulnerarit, aut commiserit aliis ut facerent, vel quod suo nomine ab aliis erat factum, approbaverit, vel ad id dederit auxilium, consilium, aut favorem, ubi inquirendum de qualitate personarum læsarum, an Sacræ fuerint, an laïcæ; an consanguineæ & affines, an non; percutiens enim injuriosè Clericum, est excommunicatus?

An noluerit veniam petere, vel pacem inire cum iis quos offenderit, vel pro injuriâ illatâ non sufficienter satisfecerit?

An noluerit condonare injuriam ab aliis illatam, & reconciliari id petentibus, & justam satisfactionem offerentibus?

An ex odio omiserit alloqui, vel salutare aliquem; vel sine odio quidem, sed cum ipsius ac proximi scandalo negarit ei signa consueta, & officia communia amicitiæ & urbanitatis?

An in rebus adversis, & infortuniis optaverit mortem, aut ex furore & irâ seipsum verberaverit, vel maledixerit, vel Diabolo tradiderit, & num ex animo, an solùm ore tenus?

An maledixerit aliis, tam vivis, quàm defunctis?

An peccandi contra alios, causam præbuerit alicui, consilio, auxilio, &c.

An ex odio voluntario, vel invidiâ affectus fuerit tristitiâ de prosperitate aliorum tam temporali, quàm spirituali, & an gavisus fuerit de aliquo malo, vel damno notabili aliorum?

An malo suo exemplo, vel consilio, vel laudando mala, vel detestando bona, causam dederit ut aliquis bonum opus, quod faciebat, omitteret; vel incitaverit ad committendum aliquod peccatum, aut ad perseverandum in illo, retrahendo eum à Pœnitentia?

An hospitio exceperit extorres & homicidas; vel consilio, favore, aliisve rebus illis subvenerit?

An mali aliquid dixerit de proximo, patefaciendo sine justâ causâ, verbi causâ aliquod ejus peccatum occultum, vel alium occultum ejus defectum cum infamia, vel damno illius: dicatur à Pœnitente, an peccatum quod revelatur, verè fuerit commissum, an confictum, an referatur asserendo, dubitando, vel ex auditu aliorum, qui fide parum digni sint; an multorum, vel unius tantùm peccatum enuntietur; an apud unum tantùm, vel multos referatur; si inde notabilis, aut levis infamia, vel damnum aliud secutum sit?

CIRCA

CIRCA VI. ET IX. PRÆCEPTUM.

Non fornicaberis, & non concupiſces Uxorem proximi tui.

AN habuerit cogitationes inhoneſtas & immundas, in iiſque voluntariè hæſerit & delectatus fuerit; & an non ſolùm cogitationibus, ſed etiam rebus turpibus cogitatis delectatus ſit (dicendum quibus rebus cogitatis delectatus ſit) an peccato cum conjugata, vel Religioſa, &c? Nec enim ſufficit dicere, delectatus ſum rebus turpibus?

An protulerit verba laſciva & inhoneſta, & an ſolùm ex ira, aut alia ſimili cauſa; an verò talia locutus fuerit vel audierit oblectando ſe illis verbis, & an ſolùm verbis inhoneſtis delectatus fuerit, an verò rebus ipſis turpibus ſignificatis per talia verba, quæ protulit vel audivit, & quibus rebus turpibus ſit delectatus, an peccato cum conjugata, &c.

An legerit libros vel hiſtorias impudicas, & inhoneſtas, & an talibus delectatus fuerit propter inhoneſtatem; an etiam ipſâ re cogitatâ per lectionem ſe oblectarit, & quâ, & num fortè pollutio, vel motio aliqua carnis inde ſecutæ fuerint?

An domi retinuerit, vel luxurioſè aſpexerit picturas & imagines impudicas?

An uſus ſit verbis inhoneſtis cum intentione peccandi, vel provocandi alios ad peccatum, & quod peccatum illud fuerit?

An voluntariè, etiam ſi breviſſimo temporis ſpatio, deſideraverit peccare cum aliqua, vel aliquo; quod peccatum ejuſdem ſpeciei eſt, cujus opus ipſum; itaque dicendum an cum conjugata, Religioſa, Virgine, &c.

An polluerit ſeipſum, & an ſe polluendo perſonæ alicujus co-

pulam concupierit, & cujus personæ, num conjugatæ, consanguineæ, &c? Nam tunc præter peccatum pollutionis, est alterum desiderii, illudque diversæ speciei pro qualitate personarum concupitarum. Idem dicendum est de quolibet attactu inhonesto cum talibus desideriis; idem quoque dicendum de fœminis.

An causam aliquam pollutioni in somno dederit, an in ea voluntariè delectatus fuerit; an quæ venerat in somno, post somnum propter delectationem placuerit?

An impudicè attigerit fœminas vel adolescentes, aut permiserit se tangi ab aliis & de amplexibus, osculis impudicis, &c. & quo fine? Idem de fœminis erga viros.

An animo peccandi miserit nuntia, litteras, vel munera, aut mediator fuerit in inducendis aliis ad peccandum, vel de malis consiliis, auxiliis, an ad peccandum mediatore usus sit?

An adierit, vel transierit locum aliquem cum mala intentione aspiciendi fœminas, & an solo visu oblectare se voluerit, an etiam peccato cogitato cum illis, & de periculis peccandi quibus se exposuit?

An amore carnali affectus fuerit ad aliquam personam; insequendo eam animo peccandi, & quanto tempore in eo perseveraverit; & num propter ipsum illa persona notata fuerit aliquâ infamiâ; deque variis actibus & peccatis, quæ accidunt iis qui tali modo se amant?

An fuco, odoribus, musicâ, choreis, nuditate corporis, & similibus sit usus, ut ad luxuriæ peccatum incitaret?

An actu peccaverit cum fœmina, idque cum Virgine, conjugatâ; an cum consanguineis vel affinibus, & in quo gradu, &c.

An peccaverit cum Personis Deo consecratis, vel per Ordinem, vel per votum; aut an qui peccat, habuerit Ordines sacros, vel emiserit votum castitatis?

An violentiâ, metu, vel dolo, vel sub promissione ficta, seu vera matrimonii; an verò blanditiis & precibus cum aliqua peccaverit?

An jactarit se de tali, aut tali peccato, & personas in particulari nominaverit, cum quibus occultè peccarat, & quàm grave damnum famæ, vel bonorum secutum sit?

An commiserit peccatum contra naturam, quod Sodomia dicitur, cum aliqua persona?

An inhonestè attigerit bestias, vel aliud peccatum cum iis commiserit?

An fuerit aliis causa peccati, consilio, auxilio, vel alio modo; cujusve peccati, quotque personis?

An occasiones proximas peccatum incurrendî non evitaverit, & adhuc in illis maneat?

An conjugati cogitarint de aliis mulieribus, aut viris, vel etiam actibus, aliisve modis extraordinariis, & an aliquod peccatum commiserint contra usum & finem matrimonii?

An malitiosè impedierint conceptionem prolis?

An conjugale debitum petenti reddiderint?

In peccatis carnis explicanda est tum conditio personæ peccantis, an Sacerdos sit, &c. tum personæ cum qua peccatur, an conjugata, &c.

CIRCA VII. ET X. PRÆCEPTUM.

Non furtum facies, non concupisces rem proximi.

AN rem alienam furto sustulerit, & quam?

An rapinam commiserit?

An sustulerit rem sacram, vel de loco sacro?

An damnum intulerit alicui & quantum, & num restituerit?

An rem alienam retinuerit sine voluntate Domini, & non re-

ſtituerit cùm potuerit, & quanto temporis ſpatio?

An jura aliquorum impedierit illegitimis viis?

An ſuâ culpâ ad ſolvendum debitum impotens factus fuerit; ita ut creditores inde damnum grave paſſi ſint?

An inventâ re aliquâ notabili, eam abſtulerit animo retinendi ſibi. Idem cenſendum eſt de rebus, quæ ad ejus manus venerunt; ſi eas non reſtituerit ſuo Domino, ſibi conſcius eſſe alienas?

An depoſita amiſerit culpâ ſuâ, vel commodata & locata detrimento affecerit?

An emendo, vel vendendo fraudem fecerit, aut in mercatura, aut in pretio, aut in pondere & menſura?

An emerit ab iis qui poteſtatem non habent, ut à ſervis & à Filiis-familias?

An rem aliquam multò pluris vendiderit, vel minoris emerit quàm valeat: aut pluris vendere, vel minoris emere ſtuduerit?

An rem unam pro alia præſtantiori?

An vitiatam pro ſana & incolumi?

An rei vendendæ occultum vitium Emptori reticuerit?

An emerit res quas ſciebat, vel dubitabat furto fuiſſe ſublatas?

An habuerit voluntatem determinatam accipiendi ſi poſſet, vel retinendi rem alienam; vel etiam an habuerit animum deliberatum acquirendi & congerendi opes (ut dicitur) per fas & nefas?

An commiſerit aliquam uſuram, vel fecerit aliquem contractum uſurarium, vel ſocietatem injuſtam in mercatura?

An aliquem ad uſuram adduxerit, aut conſenſerit?

An acceptâ ſolutione, vel ſalario ad gerendum officium vel opus peragendum non bene & fideliter illud geſſerit?

An miniſtros ſuos vel operarios fraudaverit mercede ſua, aut cum damno ipſorum diſtulerit ſolutionem?

An litem moverit contra Juſtitiam, vel in lite juſta uſus

fuerit fraude aliqua & deceptione ad vincendum?

An ludis vetitis usus sit, an etiam per fraudem in ludo aliquid lucratus sit, vel luserit cum iis, qui non possunt res suas alienare, ut cum Filiis-familias, &c.

An Simoniam commiserit vendendo, vel emendo rem spiritualem, aut spirituali annexam, vel alio quocunque modo?

An Ecclesiam privaverit Decimis, & aliis quæ ei debebat?

An per media illicita, vel malas informationes obtinuerit rem aliquam, quæ nullo jure ei obveniebat? Vel an alios impediverit injustè, quominùs bonum aliquod lucrum consequerentur, aut Beneficium Ecclesiasticum eis daretur?

An auxilium vel consilium dederit, vel alio quoque modo participaverit cum Raptoribus rei alienæ, vel cùm posset & deberet non manifestaverit, nec impediverit latrocinium; & an cibo, potu, vel aliis consumpserit bona furto sublata per se, vel alios?

CIRCA VIII. PRÆCEPTUM.

Non loquéris falsum testimonium.

AN falsum testimonium dederit in Judicio vel extra, vel alios ad illud induxerit?

An seminaverit lites & inimicitias inter alios, & quod malum inde secutum sit, & inter quos, Dominos, subditos, parentes, &c.

An injustè aliquem accusarit?

An sententiam iniquam tulerit Judex vel Arbiter?

An mentitus sit cum damno notabili proximi, an verò jocosè solùm, aut officiosè?

An ex ira offenderit alios verbis injuriosis & contumeliosis?

An mali aliquid dixerit de proximo, patefaciendo sine justa

causa aliquod ejus occultum peccatum, vel defectum cum infamia & damno illius: dicatur à Pœnitente an peccatum quod revelatur, verè fuerit commissum, an confictum, an referatur asserendo, dubitando, vel ex auditu aliorum, qui fide parum digni sint; an multorum vel unius tantùm peccatum enuntietur: an apud unum tantùm vel plures referatur, si inde notabilis aut levis infamia, vel damnum aliud secutum sit?

An in re gravi detrectaverit de modo agendi & gubernatione Hominum honoratorum, ut sunt Prælati, Sacerdotes & Religiosi, & aliæ honestæ Personæ?

An secretum sibi commissum revelaverit, vel an revelaverit quod in secreto vidit vel audivit?

An aliis sit adulatus, laudando eos in re quæ erat peccatum; vel eos defendendo?

An aliorum litteras aperuerit, & an malo fine?

An temerarium aliquod judicium fecerit de factis, vel dictis proximi?

An animo obligandi se aliquid promiserit alteri, & posteà sine causa legitima promissionem non servaverit?

Præter hæc omnia, qui habent aliquod Officium, Gradum, vel Exercitium particulare, se examinabunt de defectibus & peccatis, quæ tali Statui vel Exercitio sigillatim possunt contingere, secundùm obligationem quam quisque in eo habet.

****

MODI QUIBUS HOMO PARTICIPAT peccatis alienis, his verſibus continentur.

Conſulo, præcipio, conſentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Participo, protegoque, meum in caput iſta redundant.

Ideſt.

AN malum dederit conſilium, vel author fuerit alteri, ut malum committeret?

An præceperit, vel coegerit aliquem committere aliquod peccatum?

An conſenſerit peccatis aliorum, eaque approbarit?

An provocaverit alios ad peccandum?

An adulando iis qui malè agunt, vel laudando ipſa opera mala, author fuerit aliis peccandi?

An cùm poſſet & deberet, non manifeſtarit aliorum peccata iis, quorum officium erat ea corrigere?

An puniendo, vel removendo occaſionem, ut debebat, non impediverit aliquod peccatum?

An omiſerit reprehendere, vel admonere peccantes, cùm deberet & poſſet facere?

An fuerit ſocius, vel quocunque modo particeps peccati aliorum?

An hoſpitio receperit, foverit, vel defenderit homines malè agentes?

****

DE NUMERO ET CIRCUNSTANTIIS peccatorum explicandis.

IN numero & circunstantiis peccatorum in Confessione declarandis, hæc observanda sunt.

1. *Si verus & certus numerus occurrat, declaretur.*
2. *Si certus numerus in memoriam non redeat, is declaretur, qui ad certum propiùs accedere videtur.*
3. *Si neutrum declarare possit Pœnitens, declaret saltem quoties in die, vel hebdomada, vel mense tale peccatum commiserit.*
4. *Si denique non possit, declaret ad minùs habitum suum peccandi, & quandiu in eo vixerit.*

Quòd si Pœnitens nullo ex his modis peccata declarare velit, tanquam non paratus dimittatur.

Quoad circunstantias peccatorum explicandas hæc observentur.

1. *Illæ circunstantiæ declarentur, quæ actum bonum, vel indifferentem reddunt malum.*
2. *Declarandæ sunt circunstantiæ, quæ novam & distinctam malitiæ speciem actui malo conferunt: ut si quis fornicetur cum conjugata, aut cum consanguinea. Nam malitia adulterii aut incestûs, additur malitiæ fornicationis.*
3. *Explicandæ sunt circunstantiæ necessariæ, ut Confessarius possit cognoscere, an peccatum sit mortale, an veniale: Ideo Pœnitens tenetur declarare quantum furatus sit, an notabiliter detraxerit, an fuerit imperfecta advertentia, nec ne.*

Porrò circunstantiæ faciliùs comprehendi possunt sequenti hujus versiculi explicatione.

Quis

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1. *Quis.* Connotat personam, quæ peccat, ut si sit Sacra, &c. cum qua peccatur; si sit consanguinea, conjugata, &c & in quam peccatur: si percusserit Clericum, vel Parentem, &c.
2. *Quid.* Connotat quantitatem; si sit notabilis aut modica.
3. *Ubi.* Locum, an sit sacer, an profanus.
4. *Quibus auxiliis.* Media scilicet quibus usus est; ut si rebus sacris ad maleficium, aut maleficio ad furtum, impudicitiam, sanitatem, &c.
5. *Cur.* Finem ab actione diversum; ut si commiserit homicidium propter furtum, aut adulterium.
6. *Quomodo.* Modum, an scilicet liberè & advertenter.
7. *Quando.* Denotat tempus, ut cùm quis committit actum eo tempore prohibitum; ut si dies erat festus, cùm quis opus servile exercuit, &c.

********************o*******************

CASUS RESERVATI SUMMO PONTIFICI.

EXustio Templorum, nec-non domorum profanarum, dummodo Incendiarii fuerint publicè denuntiati; aliàs D. Episcopo reservatur.

2. Simonia realis & publica in Ordine, vel Beneficio, & confidentia similiter realis & publica.
3. Occisio seu mutilatio membrorum cujuscunque in sacris Ordinibus constituti.
4. Percussio Episcopi, seu alterius Prælati.
5. Delatio armorum ad partes infidelium.
6. Falsificatio Bullarum, seu Litterarum summi Pontificis.
7. Invasio, deprædatio, occupatio, aut devastatio terrarum Ro-

manæ Ecclesiæ.
8. *Violatio interdicti à sancta Sede impositi.*

****

CASUS RESERVATI ILLUSTRISSIMO Domino Bajocensi Episcopo.

1. *HÆresis.*
2. *Sortilegium, magia, incantatio, divinatio, item omne maleficium ad impediendam matrimonii consummationem, aut aliud inferendum proximo malum.*
3. *Percussio Clerici aut Religiosi in habitu & tonsura, si tamen atrocior fuerit, reservatur S. Pontifici.*
4. *Percussio Patris vel Matris.*
5. *Homicidium voluntarium & procuratio abortûs, sive fœtus sit animatus, sive non: sive fiat per violentiam sibi factam (si sit mulier gravida) sive per potionem, sive per venæ sectionem, aut alio modo, ubi intelligi debent quoquo modo per consilium, aut operam cooperante.*
6. *Oppressio & suffocatio parvulorum ex notabili negligentia proveniens.*
7. *Sacrilegium, quo intelligitur furtum rei sacræ, aut rei profanæ in loco sacro, & usurpatio Bonorum Ecclesiæ.*
8. *Profanatio & impius usus Eucharistiæ, Oleorumque sacrorum.*
9. *Atrox & violenta percussio in Ecclesia.*
10. *Fornicatio in Ecclesia.*
11. *Concubitus Religiosi aut Religiosæ, aut alicujus in Ordine sacro constituti cum persona laïca, aut personæ laïcæ cum aliquo ex illis.*

12. *Inceſtus uſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis & affinitatis incluſivè.*
13. *Raptus virginum vel mulierum honeſtè viventium.*
14. *Concubinatus publicus, & adulterium notoriè ſcandaloſum.*
15. *Sodomiticum peccatum, & quæ graviora ſunt.*
16. *Crimen falſariorum, quo intelliguntur falſi teſtes coram Judice, ipſorumque fabricatores; qui falſam cudunt monetam, vel qui falſificant quaſcunque litteras, in quibus proximus notabiliter læditur.*
17. *Promotio ad Ordines ſacros ante ætatem, aut ſuppoſito falſo vel ficto Titulo, aut ſine litteris dimiſſoriis, aut per ſaltum.*
18. *Ingreſſus in clauſuram Monialium, vel illius effractio.*
19. *Omnis excommunicatio lata ab homine, ſive ſit ab Epiſcopo, ſive ab eo inferiori.*
20. *Omnium votorum ſimplicium commutatio, exceptis votis caſtitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad loca hieroſolymitana, & ſancti Iacobi Compoſtellani ſummo Pontifici reſervatis.*
21. *Abſolutio ab omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, iis exceptis quæ ex homicidio voluntario proveniunt, ſummo enim Pontifici reſervantur.*

****

ALII CASUS RESERVATI

Dicto Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Bajocenſi, ejúſque Vicario Generali, à quibus extra mortis periculum, nullus abſolvere poteſt, quovis Privilegio ſit inſignitus, niſi ſpeciatim exprimatur.

1. *NOn reſidentia Paſtorum aliorumque Beneficiatorum, quibus annexa eſt cura animarum ſecundùm ſtatuta Diœceſis.*

2. *Ingressus Ecclesiasticorum in Cauponas seu Tabernas & hospitia publica, & ibi biberint vel ederint secundùm eadem statuta.*
3. *Ebrietas Ecclesiasticorum quocunque in loco.*
4. *Duellum quo nomine continentur omnes pugnantes in Duello, tum etiam qui vulgò dicuntur Patrini, & qui ad illud provocant, verbo, scripto, aut ministerio alterius, & qui illud acceptant.*

****

REGULÆ OBSERVANDÆ CIRCA CASUS reservatos.

1. *NUllus est casus reservatus summo Pontifici, nisi sit publicus, cùm ex Concilio* Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *Liceat Episcopo in Diœcesi sua per seipsum, aut alium à se deputatum absolvere subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis.*
2. *Casus reservati summo Pontifici devolvuntur ad Episcopum circa Religiosos, mulieres, eos qui sui juris non sunt, circa etiam pauperes, infirmos, senes, vel adeò delicatos, ut Romanum Pontificem adire non valeant.*
3. *Nullum peccatum reservatur, nisi sit mortale & externum, nec ullum ante annos pubertatis commissum, idest, in masculis ante annum* 14. *& in puellis ante annum* 12.
4. *Omnis Sacerdos potest quemlibet in mortis articulo ab omnibus casibus, etiam summo Pontifici reservatis absolvere.*
5. *Caveat tamen Sacerdos cui concessa est facultas absolvendi à casibus* D. *Episcopo reservatis, ne sub pretextu ejusdem facultatis Suspensos, Interdictos, & Excommunicatos præsertim ab homine absolvere, Irregulares etiam occultos rehabilitare, nec in vo-*

tis & impedimentis occultis matrimonii dispensare præsumat, nisi specialem ad hæc obtinuerit facultatem.

6\. *Debet igitur Confessarius Pœnitentem casu reservato ligatum, aut ad Superiorem remittere, aut non designatâ Pœnitentis personâ, à Superiore absolvendi facultatem obtinere.*

7\. *Singulari prudentiâ famæ Pœnitentis casu reservato innodati providere debet Confessarius, præsertim si sit fœmina; ita ut ad Superiorem recursum, sive per se, sive per litteras, sive per nuntium non præscribat, si ejus famam periculo exponi prævideat: sed aut ipse adeat Superiorem, aut aliâ viâ utatur, quâ melius ejus saluti & famæ se providere judicaverit.*



ORDO MINISTRANDI
SACRAMENTUM POENITENTIÆ.



Acerdote ut suprà parato & in Confessionali sedente, Pœnitens post diligens conscientiæ examen, ad latus ejus & non ante, manibus junctis, depositis Chirothecis, capite nudo (si sit vir) & deposito ense (si eo sit accinctus) nullo supposito pulvinari, utroque genu flectitur, & petit benedictionem, dicens: Benedic mihi Pater quia peccavi, *aut linguâ vulgari:* Mon Pere, donnez moy vôtre benediction, parceque j'ay peché.

Tunc Sacerdos aperto capite, dicit.

Deus sit in corde tuo & in lábiis tuis, ut verè & contríto corde confiteáris omnia peccáta. In nómine Patris ✠ & Fílii, & Spíritus Sancti.

Deinde Pœnitens dicit Confiteor *usque ad* meâ culpâ, *vel linguâ vulgari*, Je me confesse à Dieu, *jusqu'à j'en dis* ma coulpe. *Posteà exprimit tempus ultimæ Confessionis, & rationem reddit de pœnitentia in Confessione præcedenti imposita, an scilicet eam debitè expleverit. Tum Sacerdos adhibebit (si opus est & secundùm quod dictaverit prudentia) interrogationes, quæ initio Confessionis interdum faciendæ sunt, proüt in superioribus rubricis habetur.*

His expeditis Pœnitens peccata sua sigillatim declaret, clarè, distinctè, atque integrè. Nec Pœnitentem Sacerdos interpellat, nisi postulet necessitas: nec reprehendit, nisi finitâ Confessione; quin imò eum juvat, & si opus sit interrogat proüt prudentia suggesserit.

Omnibus declaratis Pœnitens dicet: De tous ces pechez & de tous les autres, dont je ne me souviens pas, & generalement de tous ceux de ma vie passée, j'en demande pardon à mon Dieu, & à vous mon Pere, penitence & absolution. *Posteà perficit Confessionem generalem à* meâ culpâ, *usque ad finem: Sacerdos verò aperto capite, dicit.*

Misereátur tui omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Tum Confessarius dexterâ versus Pœnitentem elevatâ, dicit.

Indulgéntiam, absolutiónem, ✠ & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos vel salutares instructiones, vel opportunas monitiones, vel increpationes, vel prohibitiones (proüt opus esse judicaverit) paternâ charitate adhibebit, ad contritionem per motiva magis conducen-

tia adducet, tum ad emendationem hortabitur, & remedia peccatorum tradet : deinde convenientem ac salutarem pœnitentiam imponet. Quâ injunctâ & acceptatâ cooperto capite, & dexterâ super Pœnitentem elevatâ sic eum absolvit.

Dóminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, ipse te absólvat. Et ego authoritáte illíus absólvo te primùm ab omni vínculo excommunicatiónis, & interdícti, in quantum possum & tu índiges. Deinde ego te absólvo à peccátis tuis. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen.

Si Pœnitens sit Clericus, additur in forma absolutionis verbum (suspensionis) post verbum (excommunicationis.)

Deinde aperto capite subjungit.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ semper Vírginis & ómnium Sanctórum, & quidquid boni féceris, vel mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augméntum grátiæ & præmium vitæ ætérnæ. ℟. Amen.

In Confessionibus autem frequentioribus & brevioribus omitti potest Misereátur, &c. *& satis erit dicere,* Dóminus noster, &c. *ut suprà usque ad illud,* Pássio Dómini, &c.

Urgente verò aliqua necessitate, aut in mortis periculo breviter dicere poterit.

Ego te absólvo ab ómnibus censúris & peccátis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE.



Xcommunicatio incurritur, vel per delictum occultum, vel per publicum, aut per sententiam Judicis. Si priori modo incurratur, sufficit absolutio communis collata à potestatem habente, quæ confertur in Sacramento Pœnitentiæ, quæ incipit his verbis, Dóminus noster, *ut suprà*, pag. 87.

Si posteriori modo incurratur, hæc observanda sunt.

1. *Meminisse debet Sacerdos se non posse absolvere ab excommunicatione in foro exteriori, nisi facultatem ita absolvendi priùs obtinuerit.*

2. *In ejus potestatis executione, si certa forma in mandato sit præscripta, illa omninò servanda est. Si verò in mandato seu commissione dicatur (in forma Ecclesiæ consueta) sequenti formâ utatur.*

Caveat tamen Sacerdos, ne si causa excommunicationis, sit erga proximum offensa, quæ nondum reparata aut condonata fuerit, talis absolutionis beneficium Excommunicato impartiatur, quin priùs, si potest, offenso, aut satisfecerit: aut si non potest, sufficientem cautionem præbuerit: aut saltem, si eam præstare non potest, juraverit se quamprimùm satisfacturum.

Forma absolvendi Excommunicatos in foro exteriori.

SAcerdos Superpelliceo & Stolâ indutus in Faldistorio aut alia sede, cooperto capite sedens, Pœnitentem coram se genuflexum, ac manibus junctis, sic interrogat

Sacerd.

Sacerd. Demandez vous pardon à Dieu de la faute que vous avez commise, & voulez vous recevoir l'absolution de l'excommunication que vous avez encouruë?

Pœnitent. ℟. Oüy Monsieur.

Tum Sacerdos monet, ut manum ponat super Missale, in quo sancta Dei Evangelia continentur. Tum Pœnitentem, manu super Missale positâ, sic alloquitur.

Jurez vous & promettez vous à Dieu, que vous obeïrez à l'avenir à l'Eglise, & que vous ne commettrez plus de telles fautes, & que vous satisferez à Dieu & au prochain pour les crimes, pour lesquels vous avez encouru l'excommunication?

℟. Oüy, Monsieur, je le jure & promets.

Posteà Sacerdos eum hortabitur eo meliori modo quo judicaverit.

Deinde Pœnitens genuflexus, ut suprà, coram Sacerdote sedente & cooperto capite, ut suprà, recitat Psalmum Miserere mei Deus, &c. *vel si non possit, alius similiter genuflexus vice illius, recitat.*

Quo finito Sacerdos surgens aperit caput suum, convertitur ad Altare, & dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster.
Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Salvum fac servum tuum (*ancillam tuam*) Dómine.
℟. Deus meus sperántem in te.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (*ea*)
℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Esto ei Dñe turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram, ut hunc fámulum tuum, quem (*hanc fámulam tuam, quam*) excommunicatiónis senténtia conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſólvat. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Mox ſedeat & cooperto capite dicat.

Dóminus noſter Jeſus Chriſtus te abſólvat, & Ego autoritáte ipsíus, & ſanctíſſimi Dómini noſtri Papæ, (*vel* Reverendíſſimi Epíſcopi *N. vel talis Superioris*) mihi commíſſâ, abſólvo te à vínculo excommunicatiónis, in quam incurríſti, *vel* incurríſſe declarátus es, propter tale factum, *vel* cauſam, &c. & reſtítuo te communióni & unitáti Fidélium, & ſanctis Sacraméntis Eccléſiæ. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.



DE ABSOLUTIONE
AB HÆRESI.



CUM quis Adultus ab Hæreticis baptizatus & educatus, aut etiam ab ipſis ſubverſus Eccleſiæ Catholicæ communioni reſtitui voluerit. Hæc obſervabit Sacerdos.

1. *Illum de omnibus ad Fidem pertinentibus, & ad ſalutem ne-*

cessariis ritè edoceat, & quantum poterit, nullum in ipsius mente dubium superesse patiatur, antequam ad Ecclesiæ communionem admittat.

2. *Ejus voluntatem & propositum sæpius explorabit, causamque conversionis sciscitabitur; ita ut si quoddam motivum humanum, sive temporale, sive sensuale agnoscat, eum aut remittat ad tempus, aut avertat ab ejusmodi motivis, aut ejus intentionem ad Deum salutemque æternam dirigat; & in primis sciscitetur, an liberè hæresim abjurare, & Fidem Catholicam profiteri velit?*

3. *Sacerdos extra mortis articulum ab hæresi revertentes absolvere non præsumat, nisi priùs obtentâ à D. Episcopo facultate: neque etiam id præstet extra Ecclesiam, & absque quatuor testibus.*

4. *Acta abjurationis & absolutionis signata ab Hæretico converso, à quatuor testibus, & à Sacerdote absolvente, ad Secretariatum Episcopatûs mittantur; & priùs in Registrum Ecclesiæ loci, sive Parochialis, sive Conventualis, referantur.*

****

FORMA ABSOLUTIONIS.

Sacerdos Superpelliceo & Stolâ indutus, facultatem ut suprà obtinens, in navi Ecclesiæ sedens, capite cooperto, Hæreticum coram se genuflexum sic interrogabit.

Sacerd. Est-ce de vôtre bonne volonté & sans aucune contrainte, que vous voulez faire abjuration de l'Heresie, & embrasser la Foy Catholique, Apostolique & Romaine?

℟. Oüy, Monsieur.

Sacerd. Croyez-vous fermement tout ceque croit cette Sainte Eglise, & que hors l'Eglise Catholique, Apo-

ſtolique & Romaine, il n'y a point de ſalut.

℞. Oüy, Monſieur, je le crois.

Tunc Sacerdos Hæreticum hortabitur proüt prudentiâ ſuggeſſerit, habitâ ratione temporis, loci & Aſtantium.

Finitâ exhortatione, Hæreticus genuflexus Fidei profeſſionem à ſanctâ Synodo Tridentinâ præſcriptam leget; vel eam, alio ipſam legente, de verbo ad verbum pronuntiabit, ut habetur in fine hujus Ritualis.

In fine verò Profeſſionis, Sacerdos moneat Hæreticum, ut manum ponat ſuper Librum Evangelii, ad hæc verba in fine Profeſſionis contenta: Je le jure ſur ces ſaints Evangiles, *& poſteà recitat Pſalmum,* Miſerere mei Deus, &c.

Deinde Sacerdos ſurgit, & aperto capite, & ad Altare converſus dicit.

Kyrie eleiſon, &c. *ut ſuprà in abſolutione ab excommunicatione* pag. 89. *& poſt Orationem.* Deus cui proprium eſt miſereri, &c. *Sacerdos ad Pœnitentem converſus ſedet, & cooperto capite, dextrâque ſuper eum elevatâ, dicit.*

Ego Authoritáte Dei omnipoténtis & beatórum Apoſtolórum Petri & Pauli, abſólvo te à vínculo excommunicatiónis, quo propter hæreſim ligátus [*ligáta*] eras; deínde redúco te in grémium Eccléſiæ, & reſtítuo te communióni Fidélium. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Quibus finitis ſurgit Sacerdos, & converſus ad Altare, dicit Pſalmum.

Laudáte Dóminum omnes gentes: laudáte eum ómnes pópuli.

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus: &

véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum Sancto Spíritu.

℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, & bonitátis infinítus est thesaúrus; piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes: ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

His expletis monendus est Conversus, ut sese ad Confessionem sacramentalem, & sacram Communionem tempore opportuno suscipiendam disponat.

Præparabit quoque Conversum ad sacras Baptismi cæremonias, quæ in Hæreticorum Baptismate omittuntur, devotè suscipiendas, si eas sibi administrari postulet Conversus, easque supplebit Parochus juxtà ritum in hoc Rituali præscriptum, Pag. 25. *antequam ei Sacramenta administret.*

Demum acta absolutionis in Registrum sub hâc Formulâ referet.

LE *N.* jour du mois de *N.* mil six cents *N.* en la presence des témoins cy-dessous nommés & signés *N.* de la Paroisse de *N.* âgé de *N.* a fait abjuration de l'Heresie de Calvin, & fait profession de la

Foy Catholique, Apoſtolique & Romaine, aprés quoy il a reçû l'abſolution, par moy ſouſſigné *N.* Prêtre, &c. à ce commis par Monſeigneur l'Evêque de Bayeux, ce que lédit *N.* & *N. N. N. N.* témoins ont ſigné conjointement avec moy. Fait en l'Egliſe de *N.* l'an & jour que deſſus,

****

FORMA ABSOLVENDI EXCOMMUNICAtum jam mortuum, juxtà ritum Romanę Eccleſię.

SI quis Excommunicatus ex hac vita decedens dederit ſignum contritionis, ne Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ: ſed Eccleſiæ ſuffragiis, quatenus fieri poteſt, adjuvetur, abſolvi poteſt hoc modo.

Si corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur & abſolvatur ut infra, deinde abſolutum in loco ſacro ſepeliatur.

Si verò fuerit ſepultum in loco profano, ſi commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & poſt abſolutionem, in loco ſacro ſepelietur; ſed ſi commodè exhumari non poteſt, locus ſepulturæ verberetur, poſteà abſolvatur.

Quòd ſi in loco ſacro ſit ſepultus, non exhumabitur, ſed verberabitur ſepulchrum. Dum autem corpus, ſive ſepulturam verberat Sacerdos, dicat:

Antiph. Exultábunt Dómino oſſa humiliáta. *Pſalm.* Miſerére mei Deus, &c. *Quo facto abſolvatur dicendo:* Autoritáte mihi concéſſâ, Ego te abſólvo à vínculo excommunicatiónis, quam incurríſti, *vel* incurríſſe declarátus es propter tale factum, & reſtítuo te communióni Fidé-

lium. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Deinde dicatur Psalmus De profúndis. *In fine.* Réquiem ætérnam dona ei Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon.

Kyrie eléiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Requiéſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DA quæſumus Dómine ánimæ fámuli tui, quem excommunicatiónis ſenténtia conſtrínxerat, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & ſupérni lúminis claritátem. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

FORMA ABSOLVENDI A SUSPENSIONE, vel ab interdicto extra, vel intra ſacramentalem Confeſſionem.

SI Sacerdoti ſit commiſſa facultas abſolvendi aliquem à ſuſpenſione vel interdicto, quamvis nulla verba ſint præcipuè determinata, uti poterit hâc formulâ.

Pœnitens dicat. Confíteor Deo, &c. *Sacerdos.* Miſereátur tui, &c. Indulgéntiam, &c.

Autoritáte mihi ab *N.* tráditâ, Ego absólvo te à vínculo suspensiónis, *vel* interdícti, quam *vel* quod, propter tale factum, *vel* causam incurrísti, *seu* incurrísse declarátus es. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Si verò Confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquàm absolverit à peccatis, addat consequenter.

Et eâdem autoritáte dispénso tecum super Irregularitáte, *vel* Irregularitátibus, *si sunt plures*, in quam, *vel* in quas ob talem, *vel* tales causas, (*eas exprimendo*) incurrísti, & hábilem reddo & restítuo te executióni Ordinum & officiórum tuórum. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Si nullum habet Ordinem, dicatur : Hábilem reddo te ad omnes Ordines suscipiéndos, *vel etiam* ad ália, juxtà tenórem mandáti.

Quòd si necesse sit titulum Beneficii restituere, & fructus malè perceptos condonare, subjungat.

Et restítuo tibi títulum, *seu* títulos Beneficii, *seu* Beneficiórum, & condóno tibi fructus malè percéptos. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suæ terminos excedat. Sciatque quilibet Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, sibi à D. Episcopo prohibitum esse sub pœnâ excommunicationis, quemquam ab Hæresi absolvere extra Sacramentum Confessionis, nisi priùs obtentâ facultate.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.



Mnem curam adhibere debet Sacerdos, ut Sacramenta sanctè & religiosè tractet, sed in primis Sacrosanctam Eucharistiam, quâ nihil sanctius habet Ecclesia Dei: gratiam quippe non solùm continet, sed & ipsum quoque gratiæ fontem, Christum scilicet Dominum.

Summum igitur studium in eo ponat Sacerdos, ut populus sibi commissus hoc venerabile Sacramentum religiosè colat, illud sanctè, frequenterque suscipiat: curet etiam, ut ipse tantum Sacramentum, quâ decet reverentiâ, debitoque cultu custodiat, tractet & administret.

Curet in primis Parochus ne populus sibi commissus ad Eucharistiam sumendam accedat, quin priùs eum ea edocuerit, quæ de ipsa credenda sunt; eam scilicet esse. 1. Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. 2. hoc fieri per verba Christi à Sacerdote prolata, seu per consecrationem, quâ convertitur panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi, quæ conversio appellatur Transsubstantiatio. 3. Totum Christum sub alterutra specie, & sub quavis speciei, sive panis, sive vini parte contineri. 4. Hoc Sacramentum institutum esse, ut nobis signum daret amoris, memoriale Passionis relinqueret, & futuræ pignus gloriæ daret. 5. Maximâ veneratione colendum esse, maximâque devotione suscipiendum.

2. Edoceat Parochus. I. neminem (quantumvis sibi videatur

contritus) cum conſcientiâ peccati mortalis , niſi prævìâ confeſſione ſacramentali ad Euchariſtiam debere accedere. 2. Nec eum (qui ſuâ culpâ cum proximo in pace non eſt) niſi priùs cum eo reconciliari ſtuduerit. 3. Nec à mediâ nocte non jejunum. 4. Nec mulieres in crinibus nimium ſtudiosè intortis , aut nudo pectore , nec viros armigeros , non depoſitis armis.

3. *Moneat ut humili corporis habitu accedant , genuflectant , linteum manibus teneant , caput erectum , os modeſtè apertum habeant , vocali oratione Communionis tempore abſtineant , receptam Euchariſtiam dentibus non terant , à ſputo tantiſper abſtineant. Sed receptâ Euchariſtiâ , clauſo ore , modeſtè in aliquem Eccleſiæ locum recedant , & ibi aliquo temporis ſpatio gratias Deo agant.*

4. *Hortetur populum ſuum , ut frequenter , & quâ par eſt pietate , ad ſacram Synaxim accedat , & præcipuè in majoribus ſolennitatibus ; eos pariter moneat , qui longum iter ſunt aggreſſuri , mulieres proximè parituras , ſenes & infirmos de vita periclitantes , ne tam ſalutari remedio priventur.*

5. *Parochus ad ſacram Communionem Fideles omnes admittat , eos tamen , ut fidelis diſpenſator arceat , quos noverit publicè eſſe indignos , ut Hæreticos , Schiſmaticos , Excommunicatos , Interdictos , & manifeſtè infames , quales ſunt meretrices , concubinarii , fœneratores , magi , ſortilegi , blaſphemi , & alii id genus , niſi de eorum pœnitentia & ſatisfactione publicè conſtet. Occultos verò peccatores non emendatos occultè petentes , repellat , non autem publicè. Amentes & phreneticos non admittat , niſi habeant lucida intervalla , devotionemque oſtendant. Quoad juvenes, eos vulgò non admittat ante 12. ætatis annum , ſecluſo tamen mortis periculo , in quo caſu eos ſumma cum diligentia ad ſacrum hoc Viaticum diſponat , modò tamen quandam ingenii maturitatem pietatemque per ſe , vel per alium agnoverit.*

6. *Curet ut Sacroſancta Euchariſtia, quâ decet reverentiâ aſſervetur: ideo ſit Pixis argentea, intùs inaurata, benè clauſa, in Tabernaculo incluſa, à D. Epiſcopo benedicta, in qua Euchariſtia perpetuò conſervetur; quæque tot Hoſtias continere poſſit, quot ordinarius expetit communicantium numerus. Et quantum fieri poteſt, ſit aliud vas argenteum, inauratum, benedictum, ut ſuprà, & portatile, quo ad infirmos Euchariſtia faciliùs deferri poſſit.*

7. *Curet, ut ſi Euchariſtia non ſuſpendatur (ut antiquus & laudabilis mos eſt) ſit Tabernaculum in majori Altari collocatum, panno ſerico intùs ornatum, clave ab ipſo Parocho, aut ejus Vicario cuſtodiendâ obſeratum, ab Epiſcopo benedictum, ante quod diu, noctuque lampas ardens luceat, in quo nec Reliquiæ Sanctorum, nec Olea ſacra recondantur, ſed ſolæ Hoſtiæ conſecratæ in Pixide incluſæ, & ſingulis ſaltem quindenis diligenter renovandæ.*

8. *Parochus aut alius Sacerdos Euchariſtiam non miniſtret, niſi Superpelliceo & Stolâ indutus, caveatque ne miniſtrando, os, aut labia communicantis (præſertim fœminæ) tangat, nec priùs manum retrahat, quàm Euchariſtiam in os immiſerit. Quòd ſi communicantium numerus hoſtias conſecratas excedat, eas Sacerdos, non ante conſpectum populi, ſed ſuper Altare dividat; ita ut tamen quædam in Pixide remaneant, & majorem Hoſtiam, quâ ad Sacrificium utitur, extra mortis periculum non dividat.*

9. *Sacerdos Clericos communicandos ſecundùm ſuum ordinem, & gradum indutos intra Sancta Sanctorum, aut ſuper Altaris gradus genuflexos inter Miſſæ ſolemnia communicet: Laïcos verò extra Sancta Sanctorum: quòd ſi ſit copioſus communicantium numerus, eos extra Miſſæ ſolemnia, nullo, aut conditionis, aut ſexûs, aut pietatis diſcrimine habito, communicet.*

10. *Caveat quilibet Parochus, vel ſuperior regularis, ne præter diem & octavam Corporis Chriſti, ſanctam Euchariſtiam, ſub præ-*

textu solennitatis, devotionis, confraternitatis, indulgentiæ concessæ, aut cujusvis necessitatis, in processionibus deferat, aut in Ecclesia, sive in Pixide ordinaria, sive in Solari exponat absque D. Episcopi licentiâ.

****

FORMA ADMINISTRANDI SACRAM Communionem.

Sacerdos lotis manibus, Superpelliceo & Stolâ coloris officio diei convenientis indutus, accipit clavem Tabernaculi, bursamque, in qua sit Corporale cum purificatorio accipit: & præcedente Clerico vel ministro, pergit ad infimum Altaris gradum: ubi, dum accenduntur cerei, aliquantulum orat, tum ascendit ad Altare, ibique extendit Corporale, aperit ostium Tabernaculi, & factâ genuflexione, Pixidem extrahit, & super Corporale deponit.

Interim communicantes linteum ante eos positum tenentes, junctis manibus, recitant Confiteor, *aut eorum nomine Clericus vel minister, & factâ confessione, Sacerdos discooperit Pixidem, genuflectit, & ad populum in cornu Evangelii, dicit.* Misereátur vestri, &c. *tum manu dextrâ signat communicandos, dicens.*

Indulgéntiam, absolutiónem ✠ & remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde convertit se ad Altare, genuflectit, sinistrâ manu accipit Pixidem, & pollice ac indice dextræ manûs Sacramentum accipit, illudque super Pixidem elevatum tenens, & ad populum in medio Altari conversus, clarâ voce dicit.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. *Posteà*

ſubdit, & iterum ac tertiò in maſculino genere repetit.

Dómine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur ánima mea.

Poſteà ad quemlibet communicandum accedit, ab iis incipiendo, qui ad partem Epiſtolæ ſunt poſiti, & unicuique porrigens Sacramentum, cum eo facit ſignum crucis ſuper Pixidem, dicens.

Corpus Dómini noſtri Jeſu Chriſti ✠ cuſtódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

Finitâ Communione, Sacerdos priùſquàm ſacramentum in Tabernaculo reponat, fragmenta, ſi quæ digitis adhæſerint, in Pixidem deponat, ipſoſque digitos extra Altare, in aliquo vaſe abluat, Purificatorio abſtergat, ablutionemque in piſcinam injici curet; tum ad medium Altare reverſus, Pixidem claudit, eam reponit in Tabernaculo, genuflectit, ipſumque Tabernaculum claudit & clave obſerat: deinde dextrâ ſuper communicantes extentâ benedicit, dicens.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Tandem ad Altare converſus, plicat Corporale, illudque in burſa reponit, & ad Sacriſtiam eo ordine quo venerat, revertitur.

Si Communio intra Miſſam fiat, omnia obſerventur, ut ſuprà, ſed caveat Sacerdos, ne priùs ſe purificet, quàm communicantes communicaverit, ne cùm in Altari, in quo non eſt Tabernaculum, celebrat, poſt purificationem, Hoſtiæ ſuperſint conſecratæ: ſi enim expletis Fidelium communionibus, aliquæ ſuperſint, eas ante

purificationem ſumere debet ; ne denique communicantibus aliam benedictionem , quàm Miſſæ impertiat , unde in Miſſis defunctorum communicantibus , nulla datur benedictio.



DE COMMUNIONE PASCHALI.



Uret Parochus ut per ſe , vel per alios Concionatores tempore Quadrageſimæ populum edoceat ea , quæ continentur in Conſtitutione Concilii Lateranenſis , ſub Innocentio III. quæ ſic habet.

Omnis utriuſque ſexûs Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit , omnia ſua peccata ſolus ſaltem ſemel in anno , fideliter confiteatur proprio Sacerdoti , & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere , ſuſcipiens reverenter , ad minùs in Paſcha , Euchariſtiæ Sacramentum , niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio , ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum ; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur , & moriens chriſtianâ careat ſepulturâ.

Admoneat igitur Parochus , Parochianos huic præcepto annuæ Confeſſionis & Communionis Paſchalis non ſatisfacere , niſi ſuo Sacerdoti [qui eſt D. Epiſcopus, aut ipſemet Parochus] aut alii de ejus licentiâ , ſemel in anno confeſſi fuerint , & in Paſchate (quod eſt à Dominica Palmarum , uſque ad Dominicam in Albis

inclusivè) in propria Ecclesia, non in alia sacram Communionem susceperint : nisi fortè secundùm ipsum canonem, omnis utriusque sexûs, *Sacerdos duxerit abstinendum.*

Tempore Quadragesimæ omnes edoceat Parochianos, & ad Communionem Paschalem præparet : ita ut nulli cujusvis conditionis & senectutis accedant, quin, quantum eorum ætas & infirmitas corporis, & spiritûs imbecillitas patiuntur, Fidei mysteria ad salutem necessaria calleant ; tum etiam pueros & puellas ita instruat, & ad primam Communionem præparet, ut sufficienter discernant, & ad eam non accedant, quin priùs ab eo sint admissi.

Omnem diligentiam adhibeat, ut omnes Paschali huic præcepto satisfaciant. Et ad hoc volumen habeat, in quo nomen cujuscunque communicantis describi curet. Quòd si aliquos non satisfecisse advertat, eos post trinam monitionem non obtemperantes, D. Episcopo denuntiet ; ita ut tamen monitio & denuntiatio terminis generalibus sint conceptæ, si violatio præcepti non sit publica : terminis verò specificis & denominativis, si violatio sit publicè cognita.

Diem publicè assignet Parochus intra quindenam Paschæ pro ægrotorum, infirmorum, & senum Communione, qui Ecclesiam adire nequeunt, eosque priùs visitet & præparet, curetque omnia disponi, quæ tum in Ecclesia, tum per viam, tum domi ipsorum sunt necessaria, ut hoc Sacramentum ritè, & reverenter deferatur, & administretur.

Caveat Parochus ne eos ad Communionem Paschalem admittat, qui non habent domicilium in Parochia, nisi priùs à proprio Parocho licentiam (quantum fieri potest scripto) obtinuerint. Poterit tamen peregrinos, advenas & mendicos admittere, maximè si probabilitatem habeat eos non esse excommunicatos, ignoretque eos aliunde non esse arcendos.

Si qui tamen peregrini, mercatores, vel viatores in itinere huic

præcepto non satisfecerint, ubi domum redierint, quamprimùm in propria Ecclesia satisfaciant. Illi verò, qui de licentiâ proprii Parochi in Monasterio, aut aliâ Ecclesiâ communicaverint, de hoc eidem suo Parocho fidem scriptis faciant, alioquin pro non communicatis habeantur.



DE COMMUNIONE
INFIRMORUM, SEU VIATICO.



CUM non sit tempus, in quo magis sit necessaria Communio, quàm in mortis periculo, ideo omnem diligentiam adhibebit Parochus, ut ægrotantibus opportuno tempore Sacrum Corporis Christi Viaticum procuret.

Moneat Parochianos, ut cùm qui in gravem morbum inciderint, statim ad se, aut Vicarium recurrant: doceatque eos ubi in periculum mortis inciderint, non requiri, ut jejuni Corpus Christi in Viaticum recipiant, sed posse illud quovis die, aut quavis diei horâ, aut noctis illud recipere. Posse quoque eodem mortis periculo remanente illud iterum in Viaticum suscipere, modò saltem dierum decem spatium ad minùs intercesserit.

Caveat tamen Parochus, ne cum aliorum scandalo, ad indignos etiam in mortis periculo constitutos Sacrum hoc Viaticum deferat, quales sunt publicè usurarii, concubinarii, nominatim excommunicati, notoriè criminosi, & alii id genus peccatores, nisi priùs sacra Confessione se purgarint, & publicæ offensioni satisfecerint, quantum occasio patitur, prudentia & justitia exigunt.

Caveat

Caveat quoque Parochus, ne hoc sanctissimum Sacramentum ad, ægrotis illud recipere præ infirmitate non valentibus, devotionis causâ ostendendum, aut adorandum deferat. Neque etiam tribuat perpetuâ amentiâ, phrenesi, epilepsiâ, rabie, assiduâ tussi, vomitu, aut aliis ejusmodi morbis actualiter laborantibus, ne indecenter tractetur; illud tamen Sacramentum sicuti & Pœnitentiam peste, aut alio morbo laborantibus non deneget, etiam si periculo se exponat.

Quòd si sit periculum ne ægrotus Hostiam aut deglutire, aut consumere valeat, tunc Parochus per Hostiam non consecratam tentare poterit, quam si deglutiat, particulam tantùm Hostiæ consecratæ illi dabit. Caveat tamen ne sub prætextu facilioris consumptionis, Hostiam consecratam in aquam, aut alium liquorem intingat.

Si verò accidat ut ægrotus seu infirmus Eucharistiam evomat, aut eam consumere nequeat, si species adhuc appareant, in aliquo vase in Sacrario reponantur: si non appareant, vomitus in stupam, aut potiùs in lintea infusus comburatur, & cineres in Sacrarium mittantur; idem fiat, si infirmus priùs moriatur, quàm Eucharistiam deglutierit, eamque aut in os apparentem habeat, aut ipsa ex ore decidat, aut species liquefactæ ex ipso ore defluant.

Sacerdos igitur in decenti habitu, Superpelliceo scilicet & Stolâ indutus, hoc Sacramentum ad privatas domos, sive in magnâ, sive in parvâ Pixide deferat, quam ante pectus superposito velamine in omni reverentiâ teneat, præcedentibus Clericis, vel aliis in eorum defectu, qui teneant bursam, in qua sit Corporale cum purificatorio, campanulam jugiter pulsandam, laternam, seu facem ardentem, librumque hunc Ritualem; quique Sacerdoti ministranti respondere, & inservire valeant.

Provideat Parochus ad communicandos ægrotos egressurus, ut

plures semper in Pixide habeat Hostias, adeò ut populus eundo & redeundo adoret, nisi fortè iter sit aut longius, aut difficilius, aut aliâ rationabili de causâ dispensetur. Et ut hoc fiat cum majori reverentiâ, præmoneat Parochus, ut ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa mappâ cooperta, in qua sanctum hoc Sacramentum reponatur, parentur vasa aquæ benedictæ, vini & aquæ communis, cum linteo super ægrum collocando. Et antequàm ex Ecclesia egrediatur, curet aliquot campanæ ictibus Parochianos convocari, qui Eucharistiam comitentur, quique cereos, aut intortitia, aut umbellam deferant.

Sacerdos igitur indutus, ut suprà, Vas utrâque manu accipiat, illud teneat ante pectus, subeatque umbellam seu baldachinum, & processionaliter procedat. Quòd si aëris injuriam pati vix possit, utatur pileolo (vulgò calotte) si difficilius sit iter, Vas cum Sacramento ad collum appensum poterit deferre, & etiam, si necesse sit, equitare. Durante verò itinere, recitet solus, aut alternatim cum Clericis, & aliis Psalmum, Miserére, *vel alios Psalmos & Cantica.*

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

ORDO COMMUNICANDI INFIRMOS.

UBi Sacerdos ad locum, ubi jacet infirmus, pervenerit: dicat.

Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Et facto super infirmum signo crucis cum Vasculo sanctissimi Sacramenti, illud super mensam paratam, supposito priùs Corporali, reponat: & factâ genuflexione accipiat aquam benedictam, &

aſpergit infirmum , deinde aſtantes , poſteà cubiculum, dicens.

Aſpérges me, Dómine, hyſſópo & mundábor : lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Poſteà reverſus, & ante SS. Sacramentum conſiſtens, orabit pro infirmo, dicens.

℣. Salvum fac ſervum tuum (*ancillam tuam*)

℟. Deus meus ſperántem in te.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de ſancto.

℟. Et de Sion tuére eum. (*eam*)

℣. Nihil profíciat inimícus in eo. (*ea*)

℟. Et Fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, infirmitátis humánæ ſinguláre præſídium, auxílii tui ſuper hunc fámulum tuum (*hanc fámulam tuam*) oſténde virtútem, ut ope miſericórdiæ tuæ adjútus (*adjúta*) Eccléſiæ tuæ incólumis repræſentári mereátur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

His dictis, ad infirmum accedet & ab eo ſciſcitabitur, utrum ſit benè diſpoſitus ad Sacrum hoc Viaticum ſuſcipiendum, & an aliqua ſuperſint peccata, quæ aut non fuerit confeſſus, aut confiteri fuerit oblitus, & tunc illum ipſe, aut alius Confeſſarius audiat & abſolvat, priùſquam illum communicet.

Poſteà infirmum, proüt prudentia ſuggeſſerit, & infirmitas patietur, per brevem expoſitionem, aut myſterii temporis aut loci, Evangelii diei, aut virtutis Sancti, de quo fit dies feſtus, aut per recitationem unius ex

exhortationibus in fine hujus Ritualis contentis ad ſacram Communionem diſponet, & ad producendos actus Fidei, Adorationis, Amoris, Humilitatis, Contritionis, &c. ſequenti aut ſimili modo excitabit.

D. NE croyez vous pas, que c'eſt icy le precieux Corps&Sang de nôtre Seigneur JESUS-CHRIST, que nous vous apportons, & ne l'adorez vous pas icy preſent?

R. Oüy je le crois, & je l'adore du plus profond de mon cœur.

D. N'avez vous pas un ardent deſir de le recevoir, & de vous donner à luy?

R. Oüy.

D. Ne croyez vous pas tout ceque l'Egliſe Catholique nous enſeigne?

R. Oüy.

D. Ne croyez vous pas un ſeul Dieu en trois Perſonnes, Pere, & Fils, & Saint Eſprit?

R. Oüy.

D. Ne croyez vous pas que le Fils de Dieu, la ſeconde Perſonne de la tres-ſainte Trinité, s'étant fait homme au ſein de la glorieuſe Vierge Marie, nous a racheté de l'Enfer par le merite de ſa mort, qu'il a ſouffert ſur une Croix?

R. Oüy.

D. Puiſque vous avez par ſa grace cette ferme Foy, ne le voulez vous pas aimer de toutes vos forces, comme vous ſçavez qu'il vous aime, ſe donnant à vous?

R. Oüy, de tout mon cœur.

N'êtes vous pas mâry de tout vôtre cœur d'avoir offensé Dieu, & ne proteſtez vous pas de ne l'offenſer jamais, moyennant ſa ſainte grace?

R. Oüy.

D. Ne vous eſtimez vous pas indigne de recevoir un Dieu ſi grand?

R. Oüy.

D. Ne demandez vous pas pardon à tous ceux que vous avez offenſé, & ne pardonnez vous pas à tous ceux qui vous auroient offenſé?

R. Oüy, je pardonne de bon cœur, & demande pardon à tous.

Si ſuper hunc ultimum articulum ægrotus reſpondere non poteſt, pro eo ad ejus nutum reſpondeat Sacerdos.

His finitis & dicto Confiteor *ab ægroto, aut alio ejus nomine, Sacerdos factâ genuflexione, vertit ſe ad ægrotum, & dicit* Miſereátur & Indulgéntiam, &c. *ut ſuprà* pag. 86.

Deinde factâ iterum genuflexione, manu ſiniſtrâ Pixidem prehendit, & duobus digitis, pollice ſcilicet & indice accipit Corpus Chriſti, de Vaſculo illud elevans, oſtendit infirmo, dicens clarâ voce.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Et more ſolito ter dicat.

Dómine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo & ſanábitur ánima mea.

Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba, ſaltem ſemel ſubmiſſâ voce, ſi commodè poteſt.

Tum Sacerdos dans infirmo ſacram Euchariſtiam, & cum ea ſignum crucis faciens ſuper Pixidem, dicat.

Accipe Viáticum Córporis Dómini nostri Jesu Christi, ut custódiat corpus tuum, & ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

Si verò Communiò non datur per modum Viatici, Sacerdos dicat more solito.

Corpus Dómini nostri Jesu Christi, custódiat ánimam tuam, in vitam ætérnam. Amen.

Datâ Communione Sacerdos Pixidem super mensam reponat, detersisque in eam digitis, quibus Corpus Christi tetigit, illam claudit, ac velum super-imponit; tum factâ genuflexione, digitos super aliquo vase, nihil dicens abluit, eosque purificatorio extergit. Ablutio verò in ignem injicietur, aut infirmo dabitur.

Deinde Sacerdos ad sanctum Sacramentum reversus genuflectit & dicit.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine sancte, Pater omnípotens ætérne Deus, te fidéliter deprecámur, ut accipiénti Fratri nostro [*Sorori nostræ*] Sacro-sánctum Corpus Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui, tam córpori, quàm ánimæ prosit ad remédium sempitérnum. Qui tecum vivit & regnat, &c.

Quòd si mors immineat, & periculum sit in mora, tunc prædictis precibus omninò, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum præbeatur.

Sacerdos antequàm discedat, moneat ægrotum suum, ut Deo gratias agat, eumque ad hoc adjuvet, & ad producendos alios actus, scilicet amoris Dei, in eum fiduciæ & resignationis, aut prædictos actus cum eo producat. Tum si ita viderit, hortetur, ut de rebus dome-

ſticis & temporalibus per teſtamenti confectionem conſulat, ne inteſtatus moriatur, & non negligat Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Poſteà Sacerdos recedens accipiat Vaſculum, quo Chriſti Corpus reconditur, & faciendo ſignum crucis ſuper infirmum, dicat.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti, deſcéndat ſuper te, & máneat ſemper. Amen.

Quòd ſi ratione longioris aut difficilioris itineris, aut alia de cauſa, una tantùm Hoſtia conſecrata deportata fuerit, eâ infirmo adminiſtratâ, Sacerdos infirmum manu benedicit, dicens, Benedíctio Dei omnipoténtis, &c. *ut ſuprà, & depoſitis Stolâ & Superpelliceo, extinctis luminibus, umbellâ demiſſâ & plicatâ, latente Pixide, campanulâ non amplius pulſatâ, ad Eccleſiam, vel domum revertatur.*

Ceſſante verò juſtâ cauſâ, Sacerdos ſemper habeat in Pixide plures Hoſtias, & completâ Communione infirmi, deferat Vas, & revertatur ad Eccleſiam, eo ordine quo venerat, dicens alternatim cum Clericis & populis Pſalmum, Laudáte Dóminum de cœlis, &c. *& alios Pſalmos proüt tempus feret, donec ad Eccleſiam pervenerit, & poſito ſuper Altare Sacramento, genuflectat & dicat.*

℣. Panem de cœlo præſtitíſti eis.

℟. Omne delectaméntum in ſe habéntem.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus qui nobis ſub Sacraménto mirábili, Paſſiónis tuæ memóriam reliquíſti, tríbue quæſumus, ita nos

Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári ; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis & regnas, &c. Amen.

Tum factâ genuflexione accipit vas, & cum eo benedicit populum, nihil dicens.

****

ORDO COMMUNICANDI
SACERDOTEM INFIRMUM.

Sacerdos infirmus sacrum Eucharistiæ Sacramentum sumpturus, sive illud recipiat in Viaticum, sive ad præceptum Communionis adimplendum, sive ad devotioni suæ, aut solennitati Festi satisfaciendum, semper Superpelliceo & Stolâ à collo pendente paretur. Et initio servetur idem ritus, qui in Communione Laïcorum infirmorum. Dictâ igitur Oratione, Deus infirmitátis humánæ, &c. *Sacerdos Sacramentum deferens, professionem Fidei ab infirmo Sacerdote exigat, his aut similibus verbis.*

Reverénde Pater, opórtet primùm in testimónium fidelíssimi tui ánimi Cathólicam fidem, quam proféssus fuísti, nunc étiam sacram Eucharístiam sumptúrus profiteáris. Dices ígitur. Credo in Deum Patrem omnipoténtem, &c.

Deinde confessionem peccatorum faciet, dicendo Confiteor, &c. *& Sacerdos ministrans dicit.* Misereátur, &c. Indulgéntiam, &c. & Ecce Agnus Dei, *ut suprà* pag. 100. *usque ad* Dómine non sum dignus, &c. *inclusivè.*

Posteà Sacerdotes & Clerici (qui omnes salvo legitimo impedimento interesse debent) dicant alternatim. Te Deum laudámus, &c. *usque*

usque ad versiculum, In te Dómine speràvi, &c. *quia hunc versum, silentibus aliis, solus Sacerdos infirmus pronuntiat, quantum ejus patitur infirmitas, quo peracto idem Sacerdos infirmus ter dicit*, Dómine non sum dignus, &c. *Reliqua ut in Communione laïcorum infirmorum.*

ORDO COMMUNICANDI DIACONOS, Subdiaconos, & inferiores Clericos infirmos.

D*Iaconus communicaturus Superpelliceo & Stolâ ab humero sinistro ad latus dextrum induatur: Subdiaconus verò Superpelliceo & Manipulo in brachio sinistro. Cætera observentur sicut in Communione laïcorum, præter confessionem Fidei, quam profitentur sicut Presbyteri, scilicet*, Credo in Deum.

Clerici verò, sive in minoribus Ordinibus constituti, sive in simplici Tonsura, si habitum Clericalem & Tonsuram continuò deferre solent, induantur Superpelliceo; si deferre non solent, idem servetur ritus, ac si non essent Clerici.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.



N primis edoceat populum suum Parochus, Sacramentum Extremæ-Unctionis, sicut & alia Sacramenta, esse institutum à Christo Domino, & à sancto Jacobo Apostolo promulgatum his verbis. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, un-

gentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.

2. *Ex his verbis edoceat.* 1. *Oleum esse materiam hujus Sacramenti.* Ungentes eum Oleo. 2. *Orationem quam super infirmum profert Sacerdos in qualibet Unctione, esse formam.* Et orent super eum. 3. *Ministrum hujus Sacramenti esse Presbyterum.* Inducat Presbyteros Ecclesiæ. 4. *Solis infirmis esse ministrandum hoc Sacramentum.* Infirmatur quis in vobis. 5. *Hoc Sacramentum esse quoddam robur infirmo adversùs animæ hostes.* Et alleviabit eum Dóminus. 6. *In eo esse alleviationem quoad corpus, si interdum saluti expedierit.* Et alleviabit eum Dóminus. 7. *In eo esse vim ad reliquias peccatorum abstergendas.* Et si in peccatis sit, remittentur ei.

3. *Curet Parochus, ut quis infirmus in extremis degens tam salutari Sacramento muniatur: curet quoque, quantum fieri poterit, ut administretur dum sana est mens, ut infirmus majorem illius fructum percipiat; caveat tamen ne ministretur aliis, quàm periculosè ægrotantibus, aut ita caducis & infirmis, ut mortis periculum immineat. Neque verò charitati pastorali omninò satisfecisse putet, si peste, aut alio morbo contagioso laboranti Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ministraverit, nisi etiam salutari remedio Extremæ-Unctionis eum munierit.*

4. *Providcat Parochus quantum conditio & status infirmi patietur, ut illi priùs Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ministret, quàm Extremæ-Unctionis Sacramentum; si tamen acciderit ut infirmus, sive ob imbecillitatem animi, sive ob infirmitatem corporis, aut aliam ob causam, illa Sacramenta recipere non valuerit, sed tantùm Extremam-Unctionem: ubi posteà ab hac infirmitate corporis aut animi convaluerit, tunc suscipiat Sacramenta, quæ non recepit.*

5. *Si mortis periculum proximè immineat, poterit Sacerdos Oleum cum ſacro Viatico deferre per ſe, aut per alium Sacerdotem, vel Diaconum qui Oleum deferat.*

6. *Conabitur Parochus infirmum ſuum ad illud Sacramentum præparare, ideò eum monebit, ut ſi alicujus peccati ſit conſcius, confiteatur; & quamvis confeſſus fuerit, nihilominùs ad actum contritionis excitet, & magnam in hujus Sacramenti gratia fiduciam habeat.*

7. *Curet Parochus à Fidelium animis avellere popularem hunc errorem, ſcilicet per hoc Sacramentum mortem accelerari, eoque recepto nullam ampliùs ſupereſſe ſpem vitæ; imò edoceat per illud ſalutem & corporis & animæ eſſe ſperandam.*

8. *Parochus infirmorum Oleum in vaſe argenteo, aut ſtanneo cuſtodiat, quod in Tabernaculo reponere non debet, ſed extra Altare in armario nitido, decenter ornato, & clave obſerato.*

9. *Oleum illud ſacrum ab Epiſcopo feriâ quintâ in Cœna Domini benedictum Parochus ſingulis annis renovet, vetuſque comburat. Quòd ſi deficere videatur, & aliud haberi non poſſit, oleum de olivis non benedictum in minori quantitate adjiciatur.*

10. *Hoc Sacramentum pueris uſum rationis habentibus, non videtur negandum, etiam ſi ad ſacram Communionem nondum fuerint admiſſi, nec iis qui aut petierunt, & poſteà uſum rationis amiſerunt, aut non petierunt, ſed ſine ſcandalo vixerunt, etiamſi loquelam amiſerint, aut delirent, aut amentes ſint (ſecluſâ notabili irreverentiâ) aut nullus ſenſuum uſus appareat, modò tamen certum ſit eos adhuc vivere.*

11. *Illud tamen penitus negetur nondum baptizatis, ſicut & excommunicatis, in manifeſto mortali peccato decedentibus, phreneſi & amentiâ ita laborantibus, ut irreverentiæ periculum immineat. Negetur quoque prælium inituris, peregrinationem aut navigatio-*

nem ſubituris , extremo ſupplicio mox afficiendis , denique pueris uſum rationis nondum habentibus.

12. *Partes corporis infirmi ungendæ, ſunt oculi , aures , nares , os, manus , pedes & renes : renum tamen unctio ſemper in fœminis omittitur , & in viris ob infirmitatem facilè moveri non valentibus. Si infirmus aliquo ex his membris ſit mutilatus , pars proxima ungatur. Manus Laïcis interiùs , Sacerdotibus , ob unctionem Sacerdotalem, exteriùs ungantur. Unctio pedum in parte ſuperiori , non in planta fiat. Oris verò unctionem ſuper labia compreſſa fieri convenit.*

13. *Videat Sacerdos, præſertim dum ungit membra quæ paria ſunt , ne priùs formam Sacramenti abſolvat , quàm ambo membra perunxerit.*

14. *Si periculum ſit ne infirmus ante finitas unctiones decedat , citò ungatur incipiendo ab his verbis :* Per iſtam ſanctam Unctionem , &c. *ut infrà : Si poſt ſupervivat infirmus , Sacerdos Unctiones & Orationes proſequatur : Si nulla ſit mora , nec ſperetur tempus , Sacerdos ſtatim in aliquo ex prædictis membris priùs apparenti ungat , dicendo.* Per iſtam ſanctam Unctionem , & ſuam piiſſimam miſericórdiam indúlgeat tibi Dóminus quidquid per viſum (*ſi ungantur oculi*) & cæteros ſenſus deliquíſti ; *Si ſtatim moriatur, ulteriùs non procedat Presbyter. Si verò ſit dubium , an vivat , proſequatur Sacerdos , ſub conditione dicendo :* ſi vivis, per iſtam Unctionem , &c.

15. *Hoc Sacramentum in eadem infirmitate non eſt iterandum : ſi tamen infirmus ita convaluerit , ut periculum mortis evaſiſſe videatur , & poſteà in illud reinciderit , Sacramentum hoc iterum erit ei miniſtrandum.*

16. *Providere debet Parochus , ut quæ ſunt neceſſaria ad hujus Sacramenti adminiſtrationem , apud infirmum parentur , ſcilicet*

mensa mappâ candidâ cooperta, vasculum aquæ benedictæ cum aspersorio, aliud vas in quo sit bombicium seu stupa, vel quid simile in globulos distinctum ad abstergendas partes inunctas, aqua cum medulla panis, ad manus Sacerdotis detergendas & abluendas.

****

ORDO MINISTRANDI HOC SACRAMENTUM.

Parochus igitur hoc Sacramentum ministraturus (convocatis Clericis si sint) & Superpelliceo ac Stolâ violaceâ indutus, vas Olei infirmorum accipiat, & ad locum infirmi procedat, uno saltem comite Clerico, qui crucem sine hasta, & Rituale hoc absque cereo & campanula deferat: & per viam unà cum ministris, aut solus Psalmos pœnitentiales, vel alias preces recitet. Quòd si ob longum aut difficile iter equitandum sit, aut sit aliquod periculum effusionis Olei, tum Vas Olei in bursa collo appensâ deferat.

Et cùm perventum fuerit ad locum infirmi, Parochus intrans cubiculum infirmi dicit.

℣. Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde Oleo super mensam deposito, Sacerdos crucem ægroto deosculandam præbet, eumque, cubiculum & Astantes aquâ benedictâ aspergit, dicens Antiphonam.

Aspérges me hyssópo & mundábor: lavábis me & super nivem dealbábor.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

INtróeat, Dómine Jesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitátis ingréssu, ætérna fœlícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cháritas fructuósa, sánitas sempitérna: effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum, adsint Angeli pacis, domúmque hanc déserat ómnis malígna discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum, & bénedic nostræ conversatiôni: sanctífica nostræ humilitátis ingréssum, qui sanctus & pius es, & pérmanes cum Patre & Spíritu Sancto, in sæcula sæculórum. Amen.

Orémus & deprecémur Dóminum nostrum Jesum Christum, ut benedicéndo benedícat ✠ hoc tabernáculum, & ómnes habitántes in eo, & det eis Angelum bonum custódem, & fáciat eos sibi servíre ad considerándum mirabília de lege sua, avértat ab eis omnes contrárias potestátes: erípiat eos ab ómni formídine, & ab omni perturbatióne, ac sanos in hoc tabernáculo custodíre dignétur. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivit & regnat Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

Orémus.

EXaúdi nos, Dómine sancte, Pater ómnipotens, ætérne Deus, & míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, foveat, prótegat, vísitet, atque deffféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Interim ad infirmum propiùs accedet, & ab eo sciscitabitur, an supersit illi aliquod peccatum quod velit confiteri. Deinde piis verbis eum consolabitur, & de hujus Sacramenti vi & efficaciâ, præcipuisque (prout tempus feret, ægrique dispositio) effectibus breviter admonebit,

ejusque animum confirmabit, & in spem vitæ æternæ eriget, juxtà formulam, quæ in fine hujus Operis subjungetur, tum monebit Astantes, ut pro illo orent.

****

Si tempus dispositioque ægroti patiantur, dicat sequentes Litanias, & Clerici, vel Astantes respondeant.

Kyrie eléison. Christe eléison.
Christe audi nos. Christe exaúdi nos
Pater de Cœlis Deus, Miserére ei.
Fíli Redemptor mundi Deus, miserére ei.
Spíritus Sancte Deus, miserére ei.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére ei.
Sancta María, Ora pro eo [*ea*]
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli Dei, oráte pro eo [*pro ea*]
Omnes sancti beatórum Spiríituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.

Sancte Bartholomæe, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte pro eo [pro ea.]
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancti Ravénne & Rásiphe, oráte.
Sancte Spaci, ora.
Sancti Fabiáne & Sebastiáne, oráte.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Exúperi. ora.
Sancte Regnobérte, ora.
Sancte Gerebólde, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicólae, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes sancti & sanctæ Dei, oráte.
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Ab omni malo, Líbera eum (*eam*) Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu supérbiæ, líbera.
A spíritu apostásiæ, líbera.

Ab ira tua, líbera.
A morte perpétua, libera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per sanctam nativitátem tuam, líbera.
Per crucem, passiónem, & mortem tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritûs Sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatores, te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus audi nos.
Ut eum (*vel eam*) exaudíre dignéris, te rogámus.
Ut eum [*eam*] ad veram Pœniténtiam perdúcere dignéris, te rogámus audi nos.
Fíli Dei, te rogámus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta múndi, Parce ei Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi eum (*eam*) Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére ei.
Kyrie eléison. Christe eléison. *Pater noster.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

RESpice, quæsúmus, fámulum tuum (*fámulam tuam*) in infirmitáte sui corporis laborántem, & ánimam réfove quam creásti, ut castigatiónibus emendátus (*emendáta*)

ſe tuâ ſéntiat medicínâ ſalvátum. [*ſalvátam.*] Per Chriſtum Dóminum, &c.

Poſteà infirmus, vel aliquis pro eo dicat, Confiteor, &c. *&* *Sacerdos*, Miſereátur tui, &c. *&* Indulgéntiam & Abſolutiónem, &c. *& manum imponens ſuper infirmum, dicat.*

IN nómine Patris, ✠ & Fílii, ✠ & Spíritûs ✠ Sancti, extinguátur in te omnis virtus diáboli per impoſitiónem mánuum noſtrárum, & per invocatiónem ómnium ſanctórum Angelórum, Archangelórum, Patriarchárum, Prophetárum, Apoſtolórum, Mártyrum, Confeſſórum, Vírginum, atque ómnium ſimul Sanctórum, Amen.

Deinde intincto pollice, vel bacillo, in Oleo ſancto, in modum crucis ungat infirmum, in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad oculos.

PEr iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per víſum deliquíſti. Amen.

Miniſter verò, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos, poſt quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, ſtupæ, vel rei ſimilis, eúmque in ignem projiciat.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per audítum deliquíſti. Amen.

Ad nares.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per odorátum deliquíſti. Amen.

Ad os, compreſſis labiis.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per guſtum, & locutiónem deliquíſti. Amen.

Ad manus.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per tactum deliquíſti. Amen.

Et adverte, quòd Sacerdotibus, ut dictum eſt, manus non inunguntur interiùs, ſed exteriùs.

Ad pedes.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per greſſum deliquíſti. Amen.

Ad lumbos, ſive renes.

Per iſtam ſanctam Unctiónem ✠ & ſuam piíſſimam miſericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per lumbórum delectatiónem deliquíſti. Amen.

Hæc autem Unctio ad lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in fœminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt.

Quibus omnibus peractis, lotiſque manibus, & projectâ in ignem ablutione. Sacerdos dicat:

Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon.
Kyrie eléiſon. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum. (*Salvam fac ancillam tuam.*)
℟. Deus meus ſperántem in te.
℣. Mitte ei Dómine auxílium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eum [*eam*]
℣. Eſto ei Dñe turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil profíciat inimícus in eo. [*ea.*]
℟. Et Fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus, qui per Apóſtolum tuum Jacóbum locútus es : Infirmátur quis in vobis ? indúcat Presbyteros Eccléſiæ, & orent ſuper eum, ungéntes eum Oleo in nómine Dómini, & orátio Fídei ſalvábit infirmum, & alleviábit eum Dóminus ; & ſi in peccátis ſit, remitténtur ei : cura, quæſumus, Redemptor noſter, grátiâ Sancti Spíritûs, languóres iſtíus infírmi (*infirmæ*) ejúſque ſana vúlnera, & dimítte peccáta, atque dolóres cunctos mentis & córporis ab eo (*eâ*) expélle, plenámque intériùs & extériùs ſanitátem miſericórditer redde, ut ope miſericórdiæ tuæ reſtitútus [*reſtitúta*] ad príſtina reparétur offícia. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus, in ſæcula ſæculórum. Amen.

Orémus.

REſpice, quæſumus Dómine, fámulum tuum N. (*fámulam tuam N.*) in infirmitáte ſui córporis laborantem, & ánimam réfove quam creáſti ; ut caſtigatiónibus emendátus [*emendáta*] ſe tuá séntiat medicínâ ſalvátum. (*ſalvátam.*) Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Orémus.

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus; qui benedictiónis tuæ grátiam ægris infundéndo corpóribus, factúram tuam multíplici pietáte custódis; ad invocatiónem tui nóminis benígnus assíste, ut fámulum tuum (*fámulam tuam*) ab ægritúdine liberátum (*liberátam*) & sanitáte donátum (*donátam*) déxterâ tuâ érigas, virtúte confírmes, potestáte tueáris, atque Ecclésiæ tuæ sanctæ, cum omni desideráta prosperitáte restítuas. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ad extremum, pro personæ qualitáte, salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

Denique aquam benedictam, & Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter aspiciat, & pro sua devotione osculetur & amplectatur.

Admoneat etiam domesticos & ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejúsque animam Deo commendet; sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo ritè commendabit.

Quæ autem pertinent ad visitationem, curámque infirmorum, & adjuvandos morientes, ad commendationem animæ, & ad exequias, infrà suis locis præscribuntur.



DE VISITATIONE
ET CURA INFIRMORUM.



Eminerit Parochus, se strictè teneri ægrotantium curam habere : ideò studeat eos sæpe visitare, consolari monere, & ad mortem proüt salutis animarum zelus inspiraverit, & prudentia suggesserit, paternâ charitate præparare : nec expectet, ut ab infirmo, aut ejus parentibus vocetur, imò præveniat, præsertim si morbus fuerit periculosus.

2. *Studeat quoque ægrotos visitans, esse eâ, quâ Christi Sacerdotem decet, gravitate, honestate, & pietate, præsertim erga mulieres, ut nemini sit offendiculum, omnibus verò in ædificationem.*

3. *Ubi ingressus fuerit domum infirmi, eum aspergat aquâ benedictâ, & semper propè ejus lectum aliquas preces fundat, sive Pater & Credo, sive Psalmos, sive Evangelium sancti Joannis.* In Principio, *sive Litanias Sanctorum, posteà sedeat propè infirmum, & cum eo agat proüt necessitas, aut utilitas postulaverit: ita ut, si sit ignorans, eum edoceat; si scrupulis, aut dubiis, aut conscientiæ stimulis angatur, eum excitet ad ea declaranda, ut ejus conscientiam quietam reddere possit : aut si se minus capacem agnoverit, alicujus viri Docti & Pii visitationem infirmo offerat, à quo juvari possit. Si infirmus domesticis curis, aut amore vitæ corporis, & bonorum nimiùm sit occupatus, conetur eum prudenter avertere, ad hæc abneganda induat, & ad Deum & res æternas convertat. Si à diabolo tentatum quoquo modo agnoscat, eum ad ei fortiter*

resistendum, aut renuntiandum, aut eum non audiendum & negligendum cohortetur: Si ægrè aut tepidè dolores patientem agnoverit, eum ad illos è manu Dei suscipiendos, & pro ejus amore peccatorumque remissione tolerandos hortetur: & hac de re Christi acerbissimos dolores patientis exemplum ob oculos ponat. Si eum aut in doloribus absorptum, aut in animi segnitie torpentem viderit, cum ab hoc sopore identidem revocet, mentemque ejus ad Dei Christique in cruce patientis & morientis, felicitatisque æternæ intuitum erigat. Si timore mortis, Judiciorum Dei & damnationis æternæ anxium adverterit, eum edoceat Deum esse infinitè bonum & misericordem, Christique Sanguinem pro ejus salute effusum, esse summè efficacem.

4. *Ubi periculum mortis immineat, interroget Sacerdos ægrotum, proüt expedire videbitur, sequenti modo.*

I.

NE voulez-vous pas mourir en la Foy de nôtre Seigneur JESUS-CHRIST, & dans la creance de nôtre Mere la sainte Eglise, Catholique, Apostolique, & Romaine? ℟. Oüy.

II.

Ne croyez vous pas qu'il n'y a qu'un seul Dieu en trois Personnes, le Pere, le Fils, & le S. Esprit? ℟. Oüy.

III.

Ne croyez vous pas que la seconde Personne de la sainte Trinité, qui est le Fils, s'est fait homme, prenant un corps & une ame dans le sein de la Vierge, pour nous racheter? ℟. Oüy.

IV.

Ne croyez vous pas que s'étant fait homme, il a été at-

taché à la Croix, y a souffert, y est mort pour le salut de tous les hommes? ℟. Oüy.

V.

Ne croyez vous pas que tous les hommes ressusciteront un jour, & comparoîtront devant JESUS-CHRIST leur Juge, qui donnera la vie eternelle aux bons pour récompense, & la mort eternelle aux mauvais pour punition? ℟. Oüy.

VI.

Ne detestez vous pas toutes les Heresies, Superstitions, & tout ceque l'Eglise condamne? ℟. Oüy.

VII.

N'esperez vous pas que Dieu vous fera misericorde, & vous donnera son Paradis, par les merites de JESUS-CHRIST? ℟. Oüy.

VIII.

Ne voulez vous pas aimer Dieu de tout vôtre cœur, & le prochain comme vous même? ℟. Oüy.

IX.

Ne remerciez vous pas la bonté de Dieu, de tous les biens, tant de nature, que de grace, qu'il vous a faits, & sur tout de vous avoir fait Chretien? ℟. Oüy.

X.

N'êtes vous pas mâry de tout vôtre cœur d'avoir offensé Dieu, parcequ'il est infiniment bon? ℟. Oüy.

XI.

Ne vous resignez vous pas entierement à la volonté de Dieu, pour disposer de vous en toutes les manieres qu'il luy plaira? ℟. Oüy.

XII.

N'offrez vous pas vos souffrances & vôtre mort, en

Sacrifice

Sacrifice à Dieu, & en ſatisfaction pour vos pechez, & ne les acceptez vous pas pour l'amour de JESUS-CHRIST? ℟. Oüy.

XIII.

Ne pardonnez vous pas pour l'amour de Dieu à tous ceux qui vous ont offenſé, en quelque maniere que ce ſoit? ℟. Oüy.

XIV.

Ne priez vous pas auſſi ceux que vous avez offenſé en quelque maniere que ce ſoit, de vous pardonner, & ne deſirez vous pas être reconcilié avec eux? ℟. Oüy.

XV.

Ne voulez vous pas que tout le tort que vous avez fait au prochain, ſoit reparé au plûtôt? ℟. Oüy.

Finitis his interrogationibus & reſponſis, ægrotans dicat, ſi poteſt, aut alius pro eo, Confiteor, *& poſteà Sacerdos dicet,* Miſereátur, &c. Indulgéntiam, &c. *Deinde ſequenti Abſolutione non Sacramentali, eum abſolvat.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus per virtútem & méritum ſuæ Paſſiónis te abſólvat, & ego authoritáte illíus abſólvo te ab ómni vínculo excommunicatiónis, & ab ómnibus cenſúris Eccleſiáſticis, vel à jure, vel ab hómine, vel quocúmque modò impóſitis, & ipſum Dóminum noſtrum deprécor, ut te à peccatórum ómnium vínculis abſolútum perdúcere dignétur ad regna cœlórum. ℟. Amen.

Si infirmus Liberis benedictionem non impertierit, convenit, ut eum moneat Sacerdos, curetque ut ad ejus

lectum genuflexi accedant ipsi Liberi, & eam petant (nisi fortè sint Sacerdotes.)

Si verò morbus ingravescat, studeat Parochus, ut secedant Uxor, Liberi, Pater, Mater, & alii gementes & flentes, iique, quos in vita charos habuerit.

Tunc paternâ charitate eum ultimò ad mortem disponet, & identidem ad producendos iterum actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, &c. ut suprà, inducet: aut in ejus loco ipse producet, & cavebit ne hoc clamosâ, aut declamatoriâ voce agat.

Eum sæpe inducat ad invocandum omnium Sanctorum auxilium, præsertim beatæ Mariæ Virginis, S. Angeli Custodis, Sanctorumque ejus Patronorum, iisque se ipsum commendet; aut ipse Parochus eos in ejus persona invocet, iisque eum commendet, præsertim ubi ægrotus aut vix, aut non potest loqui.

Sæpe, prudenter tamen, Parochus ægrotum suum à torpore evigilet, & ad Deum erigat per aliquos versus sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii & Psalmorum. Caveat tamen, ne illi per frequentiorem iterationem aliquod tædium generet.

Crebrò eum aspergat aquâ benedictâ, & crucem osculandam & adorandam, & cùm ei eam præbebit, dicat: Adorámus te Dómine Jesu Christe, & benedícimus tibi, quia per crucem tuam redemísti múndum. Qui passus es pro nobis, Dómine miserére nobis.

COMMENDATIO ANIMÆ.

C*Um Parochus ægrotum suum in agonia constitutum adverterit, eum ut priùs aspergat aquâ benedictâ,*

tum crucem osculandam & adorandam præbeat: ei suggerendo actus Fidei, Adorationis, fiduciæ & Amoris in Christum morientem, actusque doloris peccatorum, & acceptationis, tum dolorum suorum, tum ipsius mortis.

Posteà, proüt ægrotus propiùs ad mortem accedere videtur, si adsit cereus benedictus, aut alius non benedictus, eum illi in manus tradat accensum: eum suaviter inducens ad se coram Deo agnoscendum, tanquam ejus læsæ Majestatis conscium, & injurias ejus Justitiæ à se illatas, quantum potest in anima & corpore resarcientem.

Tùm genuflexus Parochus dicat sequentes septem Psalmos & Litanias, & astantes populi etiam genuflexi respondeant, dicatque Passionem, Psalmos, & sequentes Preces, aut sine intermissione, aut per intervalla, proüt longior, aut brevior erit agonia, & feret dispositio agonizantis.



SEPTEM PSALMI

POENITENTIALES, CUM LITANIIS.

Pro infirmis, dum ſacro liniuntur Oleo, ſeu pro alia neceſſitate, dicuntur flexis genibus.

Antiph. Ne reminiſcáris.

Pſalmus 6.



DOmine, ne in furóre tuo árguas me: neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei Dómine, quóniam infírmus ſum: ſana me Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: ſed tu Dómine uſquequò.

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte, qui mémor ſit tui: in inférno autem quis confitébitur tibi.

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtrátum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus: inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me omnes, qui operámini iniquitátem: quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : convertántur & erubéſcant valde velóciter.

Glória Patri & Fílio : & Spirítui Sancto,

Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſalmus 31.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes : & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum : nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui inveteravérunt oſſa mea : dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua : convérſus ſum in ærúmna mea, dum confígitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi, Confitébor advérſùm me injuſtítiam meam Dómino : & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus : in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum : ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit me : exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac, quâ gradiéris : firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus : quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge : qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris : sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi : & gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me : neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ : non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: & sicut onus grave graváta sunt super me.

Putruérunt & corrúptæ sunt cicatríces meæ : à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem : totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum & humiliátus sum nimis : rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine ante te omne desidérium meum : & gémitus meus á te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei & próximi mei : advérsùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt : & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala, mihi locúti ſunt vanitátes : & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam : & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens : & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine ſperávi : tu exaúdies me Dómine Deus meus.

Quia dixi, nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei: & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagélla parátus ſum : & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me: & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum : Dómine Deus ſalútis meæ.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Pſalmus 50.

MIſerére mei Deus : ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum : dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci : ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : & in peccátis concépit me Mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo & mundábor : lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam : & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis : & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua : & Spíritum sanctum tuum ne aúferas á me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrificium, dedissem útique : holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : ut

ædificéntur

ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrificium juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta: tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto.

Sicut erat, &c.

Pſalmus 101.

DOmine exaúdi oratiónem meam: & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me: in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te: velóciter exaúdi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum & áruit cor meum: quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei: adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis: factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei: & qui laudábant me, advérſùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam: & potum meum cum fletu miſcébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: quia élevans alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt: & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ęternum pérmanes: & memoriále tuum in generatióne & generatiónem.

Tu exúrgens miſeréberis Sion: quia tempus miſeréndi

ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum Dómine : & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo : Dóminus de cælo in terram aspéxit.

Ut audíret gémitus compeditórum : ut sólveret fílios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum : & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti : & ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur : tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : & semen eórum in

ſæculum dirigétur.

Glória Patri, &c.

Pſalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : Dómine quis ſuſtinébit.

Quia apud te propitiátio eſt : & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael : ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, &c.

Pſalmus 142.

DOmine exaûdi oratiónem meam, aúribus pércipe obſecratiónem meam : in veritáte tua exaúdi me in tua juſtítia.

Et non intres in judícium cum ſervo tuo : quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam : humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi : & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus, in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis : in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me Dómine : defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me : & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam : quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua âmbulem : quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi : doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : propter nomen tuum Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : quóniam ego ſervus tuus ſum.

Glória Patri, &c.

Antiph. Ne reminiſcáris, Dómine, delícta noſtra, vel paréntum noſtrórum ; neque vindíctam ſumas de peccátis noſtris.

****

Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon.
*S*ancta María, ora pro eo. (*ca*)
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro eo. (*ca*)
*S*ancte Abel, ora.
Omnis chorus juſtórum, oráte.

Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Omnes sancti Mártyres, ora.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo. (*ea*)
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Ab ira tua, Líbera eum (*eam*) Dómine.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.

A potestáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per Crucem & Passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs Sancti Para cléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus audi nos.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Deinde dicuntur sequentes Orationes.

Orátio.

PRoficíscere ánima Christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: In nómine Spíritûs Sancti, qui in te effúsus est: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Potestatum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum: In nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum: In nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua sit in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus misericors, Deus clemens, Deus qui secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta

pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas: réſpice propítius ſuper hunc fámulum tuum N. (*hanc fámulam tuam N.*) & remiſſiónem ſibi ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcéntem deprecátus exaúdi. Rénova in eo piíſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel diabólicâ fraude violátum eſt, & unitáti córporis Ecclésiæ, membrum redemptiónis annécte. Miſerére Dómine gemítuum, miſerére lacrymárum ejus, & non habéntem fidúciam niſi in miſericórdia tua, ad tuæ ſacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, charíſſime Frater, (*charíſſima Soror*) & ei cujus es creatúra, commítto: ut cùm humanitátis débitum morte interveniénte perſólveris, ad authórem tuum, qui te de límo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat: Judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat: Candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: Liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circúndet: Jubilántium te Vírginum chorus excípiat, & beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtríngat: Mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter interéſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum ſatellítibus ſuis: In advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus & diſſipéntur inimíci ejus, & fúgiant qui odérunt

eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus deficiant : ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei: & Juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur, & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes, & miníſtri Sátanæ iter tuum impedíre non aúdeant. Líberet te á cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifíxus eſt. Líberet te à morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra Paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in Electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, & præſens ſemper aſſíſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. Conſtitútus ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUſcipe Dómine ſervum tuum (*ancíllam tuam*) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui (*ancíllæ tuæ*) ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui (*ancíllæ tuæ*) ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui (*ancíllæ tuæ*) ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui (*ancíllæ tuæ*) ſicut liberáſti Abraham de Vr Chaldeórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui (*ancíllæ tuæ*) ſicut li-

berásti Job de passiónibus suis. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu Patris sui Abrahæ. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis Regis Ægyptiórum. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti tres Púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu Regis iníqui. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) sicut liberásti David de manu Regis Saül, & de manu Góliæ. ℞. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui [*ancíllæ tuæ*] sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. ℞. Amen.

Et sicut beatíssimam Teclam Vírginem & Mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti: sic liberáre dignéris ánimam servi (*ancíllæ*) hujus, & tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℞. Amen.

Oratio.

COmmendámus tibi Dómine, ánimam fámuli tui *N.* (*fámulæ tuæ N.*) precamúrque te Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insi-

nuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non ex Diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero: quia non est álius Deus præter te, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum & ebrietátum quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum Sanctum non negávit, sed crédidit; & zelum Dei in se hábuit, & Deum qui fecit ómnia fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Oratio.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine: sed secúndùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum (*ancíllam tuam*) súscipe. Suscípiat eum (*eam*) sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum [*eam*] in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum (*eam*) beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum (*eam*) sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo (*ea*) sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo (*ea*) omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo (*ea*) omnes sancti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt: ut vínculis carnis exútus (*exúta*) perveníre mereátur ad glóriam regni cæléstis: præstánte Dómino nostro Jesu Christo,

Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Si anima diutiùs anxiatur, poterit etiam recitari

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI secúndùm Joánnem.

Cap. 18.



IN illo tempore : Egréssus est Jesus cum Discípulis suis trans Torréntem Cedron, ubi erat hortus, in quem introívit ipse & Discípuli ejus. Sciébat autem & Judas, qui tradébat eum, locum, quia frequénter Jesus convénerat illuc cum Discípulis suis. Judas ergo cùm accepísset cohórtem, & à Pontifícibus & Pharisæis minístros, venit illuc cum latérnis & fácibus & armis. Jesus ítaque sciens ómnia, quæ ventúra erant super eum, procéssit, & dixit eis. Quem quæritis? Respondérunt ei : Jesum Nazarénum. Dicit eis Jesus. Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradébat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis : Ego sum : abiérunt retrórsum, & cecidérunt in terram. Iterum ergo interrogávit eos : Quem quæritis? Illi autem dixérunt : Jesum Nazarénum. Respóndit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : Si ergo me quæritis, sínite hos abíre. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedísti mihi, non pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium edúxit eum, & percússit Pontíficis servum, & abscídit aurículam ejus déxteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gládium tuum in vagínam. Cálicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Cohors ergo & Tribúnus, & minístri Judæórum

comprehendérunt Jeſum, & ligavérunt eum: & adduxérunt eum ad Annam primùm. Erat enim ſocer Cáiphæ, qui erat Póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas, qui consílium déderat Judæis. Quia éxpedit unum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autem Jeſum Simon Petrus, & álius Diſcípulus. Diſcípulus autem ille erat notus Pontífici, & introívit cum Jeſu in átrium Pontíficis. Petrus autem ſtabat ad óſtium foris. Exívit ergo Diſcípulus álius, qui erat notus Pontífici, & dixit oſtiáriæ, & introdúxit Petrum. Dicit ergo Petro ancílla oſtiária: Nunquid & tu ex Diſcípulis es hóminis iſtíus? Dicit ille: Non ſum. Stabant autem ſervi, & miniſtri ad prunas, quia frígus erat, & calefaciébant ſe: Erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefáciens ſe: Póntifex ergo interrogávit Jeſum de Diſcípulis ſuis, & de Doctrínâ ejus. Reſpóndit ei Jeſus: Ego palam locútus ſum mundo: ego ſemper dócui in ſynagóga & in Témplo, quo omnes Judæi convéniunt, & in occúlto locútus ſum nihil. Quid me intérrogas? intérroga eos, qui audiérunt, quid locútus ſum ipſis: ecce hi ſciunt quæ díxerim ego. Hæc autem cùm dixíſſet, unus aſsíſtens miniſtrórum dedit álapam Jeſu, dicens: Sic reſpóndes Pontífici? Reſpóndit ei Jeſus: Si malè locútus ſum, teſtimónium pérhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Et miſit eum Annas ligátum ad Cáipham Pontíficem. Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefáciens ſe. Dixérunt ergo ei: Numquid & tu ex Diſcípulis ejus es? Negávit ille, & dixit, non ſum. Dicit ei unus ex ſervis Pontíficis cognátus ejus cujus abſcídit Petrus aurículam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negávit Petrus: & ſtatim gallus cantávit. Addúcunt ergo Je-

ſum à Cáipha in Prætórium. Erat autem mane : & ipſi non introiérunt in Prætórium, ut non contaminaréntur, ſed ut manducárent Paſcha. Exívit ergo Pilátus ad eos foras, & dixit : Quam accuſatiónem affértis advérſùs hóminem hunc ? Reſpondérunt, & dixérunt ei : Si non eſſet hic malefáctor, non tibi tradidiſſémus eum. Dixit ergo eis Pilátus : Accípite eum vos, & ſecúndùm legem veſtram judicáte eum. Dixérunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interfícere quemquam : Ut ſermo Jeſu impleréturquem dixit, ſignificans quâ morte eſſet moritúrus. Introívit ergo íterum in Prætórium Pilátus, & vocávit Jeſum, & dixit ei : Tu es Rex Judæórum ? Reſpóndit Jeſus: A temetipſo hoc dicis, an álii dixérunt tibi de me ? Reſpóndit Pilátus, numquid ego Judæus ſum ? Gens tua, & Pontífices tradidérunt te mihi : quid fecíſti ? Reſpóndit Jeſus : Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miníſtri mei útique decertárent, ut non tráderer Judæis : nunc autem Regnum meum non eſt hinc. Dixit ítaque ei Pilátus : Ergo Rex es tu ? Reſpóndit Jeſus: Tu dicis quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimónium perhíbeam veritáti : omnis qui eſt ex veritáte, audit vocem meam. Dicit ei Pilátus: Quid eſt véritas ? Et cùm hoc dixíſſet, íterum exívit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invénio in eo cauſam : Eſt autem conſuetúdo vobis, ut unum dimíttam vobis in Paſcha : vultis ergo dimíttam vobis Regem Judæórum ? Clamavérunt rurſum omnes, dicéntes : Non hunc, ſed Barábbam. Erat autem Barábbas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Jeſum, & flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de ſpi-

nis imposuérunt cápiti ejus : & veste purpúrea circundedérunt eum. Et veniébant ad eum, & dicébant : Ave Rex Judæórum : & dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, & dicit eis : Ecce addúco eum vobis foras, ut cognoscátis quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, & purpúreum vestiméntum, & dicit eis : Ecce homo. Cùm ergo vidíssent eum Pontífices, & miníſtri clamábant, dicentes : Crucifíge, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus : Accípite eum vos, & crucifígite : ego enim non invénio in eo causam. Respondérunt ei Judæi : Nos legem habémus, & secúndùm legem debet mori, quia Fílium Dei se fecit. Cùm ergo audísset Pilátus hunc sermónem, magis tímuit. Et ingréssus est Prætórium íterum : & dicit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem respónsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilátus : Mihi non lóqueris ? nescis quia potestátem hábeo crucifígere te, & potestátem hábeo dimíttere te ? Respóndit Jesus : Non habéres potestátem advérsùm me ullam, nisi tibi datum esset désuper. Proptérea qui me trádidit tibi, majus peccátum habet. Et exínde quærébat Pilátus dimíttere eum. Judæi autem clamábant, dicéntes : Si hunc dimíttis, non es amícus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradícit Cæsari. Pilátus autem cùm audísset hos sermónes, addúxit foras Jesum, & sedit pro tribunáli, in loco, qui dícitur Lithóstrotos, Hebráicè autem Gábbatha. Erat autem Parascéve Paschæ, hora quasi sexta : & dicit Judæis : Ecce Rex vester. Illi autem clamábant : Tolle, tolle, crucifíge eum. Dicit eis Pilátus : Regem vestrum crucifígam ? Respondérunt Pontífices : Non habémus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo trádidit eis illum, ut crucifigerétur. Suscepé-

runt autem Jeſum, & eduxérunt. Et bájulans ſibi Crucem exívit in eum, qui dícitur Calváriæ locum, Hebráicè autem Gólgotha: ubi crucifixérunt eum, & cum eo álios duos hinc & hinc, médium autem Jeſum. Scripſit autem & títulum Pilátus, & póſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarénus Rex Judæorum. Hunc ergo títulum multi Judæórum legérunt, quia propè Civitátem erat locus, ubi crucifíxus eſt Jeſus: & erat ſcriptum Hebráicè, Græcè, & Latínè. Dicébant ergo Piláto Pontífices Judæórum: Noli ſcríbere Rex Judæórum: ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæórum. Reſpóndit Pilátus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Mílites ergo cùm crucifixíſſent eum, accepérunt veſtiménta ejus, [& fecérunt quátuor partes, unicuíque míliti partem] & túnicam. Erat autem túnica inconſútilis, déſuper contéxta per totum. Dixérunt ergo ad ínvicem: Non ſcindámus eam, ſed ſortiâmur de illa cujus ſit: Ut Scriptúra impleretur, dicens. Partíti ſunt veſtiménta mea ſibi: & in veſtem meam miſérunt ſortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stábant autem juxtà Crucem Jeſu Mater ejus & Soror Matris ejus, María Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidíſſet ergo Jeſus Matrem, & Diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit Matri ſuæ: Múlier ecce Fílius tuus. Deinde dicit Diſcípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam Diſcípulus in ſuam. Póſtea ſciens Jeſus, quia ómnia conſummáta ſunt, ut conſummarétur Scriptúra, dicit: Sítio. Vas ergo póſitum erat acéto plenum. Illi autem ſpóngiam plenam acéto hyſſopo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cùm ergo accepíſſet Jeſus acétum, dixit: Conſummátum eſt. Et inclináto cápite trádidit ſpíritum. Judæi ergo (quóniam Pa-

rascéve erat) ut non remanérent in Cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, & tolleréntur. Venérunt ergo mílites, & primi quidem fregérunt crura, & altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cùm veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum lánceâ latus ejus apéruit, & contínuò exívit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit, & verum est testimónium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut & vos credátis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt. Post hæc autem rogávit Pilátum Joseph ab Arimathía [eò quòd esset Discípulus Jesu, occúltus autem propter metum Judæórum] ut tólleret corpus Jesu. Et permísit Pilátus. Venit ergo & tulit corpus Jesu. Venit autem & Nicodémus, qui vénerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixtúram myrrhæ & áloës, quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus Jesu, & ligavérunt illud línteis cum aromátibus, sicut mos est Judæis sepelíre. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus: & in horto monuméntum novum, in quo nondum quisquam pósitus erat. Ibi ergo propter Parascévem Judæórum, quia juxtà erat monuméntum, posuérunt Jesum.

℣. Adorámus te Christe, & benedícimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum.

DEus, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circuncidi, à Judæis reprobári, à Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligâri: sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti & Heródis

ródis indecénter offérri, à falsis téstibus accusári, flagéllis & oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, véstibus éxui, cruci clavis affígi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle & acéto potári, & lánceâ vulnerári. Tu Dómine per has sanctíssimas pœnas tuas, quas ego indígnus récolo, & per sanctam crucem & mortem tuam líbera fámulum tuum N. (*ancíllam tuam N.*) à pœnis inférni, & perdúcere dignéris, quò perduxísti latrónem tecum crucifíxum. Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Si moribundus diutius anxiatur, poterunt dici Psalmi 117. Confitémini, *&* 118. *proüt sunt in Breviario.*

Post Psalmos, aut etiam sine Psalmis, poterunt recitari tres devotæ Orationes sequentes, & aliæ preces proüt extant.

Primò dicatur. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Ave María.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, per tuam sanctíssimam agóniam & oratiónem, quâ orásti pro nobis in monte Olivéti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram: óbsecro te, ut multitúdinem sudóris tui sanguínei, quem præ timóris angústia copiosíssimè pro nobis effudísti, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti contra multitúdinem ómnium peccatórum hujus fámuli tui N. & líbera eum (*ancíllæ tuæ N. & líbera eam*) in hac hora mortis suæ ab ómnibus pœnis & angústiis, quas pro peccátis suis se timet meruísse. Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus

in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Secundò dicatur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Ave María.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignátus es in cruce, óbsecro te, ut omnes amaritúdines passiónum & pœnárum tuárum, quas pro nobis míseris peccatóribus sustinuísti in cruce, máximè in illa hora, quando sanctíssima ánima tua egréssa est de sanctíssimo córpore tuo, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus fámuli tui N. & líbera eum (*ancíllæ tuæ N. & líbera eam*) in hac hora mortis ab ómnibus pœnis & passiónibus, quas pro peccátis suis se timet meruísse. Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tertiò dicatur Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Ave María.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixísti: In charitáte perpétua diléxi te, ídeo attráxi te míserans: óbsecro te, ut eándem charitátem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerándas ómnium passiónum tuárum amaritúdines attráxit, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus fámuli tui N. & líbera eum (*ancíllæ tuæ N. & líbera eam*) ab ómnibus passiónibus & pœnis, quas pro peccátis suis timet se meruísse. Et salva ánimam ejus in hac hora éxitus sui. Aperi ei jánuam vitæ, & fac eum [*eam*] gaudére cum Sanctis tuis in glória ætérna. Et tu piíssime Dómine Jesu Christe, qui redemísti nos pretiosíssimo sánguine tuo,

miserére ánimę fámuli tui (*ancíllæ tuæ*) & eam introdúcere dignéris ad semper viréntia & amœna loca Paradísi, ut vivat tibi amóre indivisíbili, qui à te, & ab eléctis tuis nunquam separári potest. Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

In expiratione autem, seu cùm ejus tempus institerit pulsanda prout moris est campana Parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus alibi existentibus, instantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint. Et tunc maximè ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse verò moriens si potest, dicat : vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clarâ voce pronuntiet : Jesu, Jesu, Jesu. *Quod, & ea, quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat.* In manus tuas Dómine, comméndo spíritum meum. Dómine Jesu Christe súscipe spíritum meum. Sancta María ora pro me. María Mater grátiæ, Mater misericórdiæ, tu me ab hoste prótege, & horâ mortis súscipe.

Deinde solus Sacerdos pro opportunitate temporis sequentes Orationes dicat.

Oratio.

Misericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis afféctu pro áliis rogáre cógimur, qui pro nostris peccátis supplicáre nequáquam sufficimus : tamen de tua gratúita pietáte confísi, cleméntiam tuam depóscimus, ut ánimam hujus servi tui (*ancíllæ tuæ*) ad te revertentem cum pietáte suscípias. Adsit ei Angelus Míchaël : & per manus sanctórum Angelórum, inter Sanctos & Eléctos tuos, in sinu Abrahæ, Isaac & Jacob, Patriarchárum tuórum eum (*eam*) collo-

cáre dignéris : quátenus à princípibus tenebrárum, & de locis pœnárum liberáta, nullíus ignorántiæ aut próprię voluntátis seu fragilitátis confundátur erróribus : sed pótiùs agnoscátur à tuis, & sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur : atque cùm magni judícii advénerit dies, inter Sanctos tuos ressuscitátus (*ressuscitáta*) glóriâ beatíssimæ visiónis tuæ perpétuò satiétur. ℟. Amen.

Oratio.

SUavíssime Dómine Jesu Christe, per illum ineffábilem amôrem, qui te digníssimum, innocentíssimum & dilectíssimum patérnæ charitátis Fílium, pro nobis factum hóminem, vulnerári, ac crudéliter mori, pro homínibus rediméndis fecit : Indúlge clementíssime Dómine Jesu, huic fámulo tuo [*fámulæ tuæ*) omne quod cogitátu, verbo & facto, affectiónibus & móribus, víribus & sénsibus ánimæ & córporis delíquit. In veram ómnium peccatórum suórum remissiónem, sacratíssime Dómine Jesu, tríbue illi spirituále lumen tuæ ardentíssimæ charitátis, quâ totíus mundi culpas diluísti : ac in plenam suppletiónem ómnium negligentiárum suárum, méritum tuæ sacratíssimæ passiónis adde : & ínsuper illi tríbue fructum ómnium bonórum óperum per eléctos tuos factórum, qui tibi placuérunt. ℟. Amen.

Oratio.

JEsu Dómine Deus noster, inténde ánimæ fámuli tui (*fámulæ tuæ*) & líbera illam : & propter terrórem inimíci, tuo splendóre illústra illam. Exaúdi, bone Jesu, servum tuum (*ancíllam tuam*) quóniam benígna est misericórdia tua. Secúndum méritum grátiæ tuæ líbera illum (*illam*) salvum (*salvam*) fac, bone Jesu, servum tuum

(*ancillam tuam*) & illíus mentem tuá grátiâ illúmina. Vocem servi tui (*ancillæ tuæ*) Dómine Jesu, exáudi in hac hora : & propter nomen sanctum tuum prótege illum [*illam*] Salus Electórum, bone Jesu, tu es : In lúmine tuo lætífica ánimam fámuli tui (*fámulæ tuæ*) ut ad te pervéniat. ℞. Amen.

****

COMMENDATIO ANIMÆ POST mortem.

Postquam egressa fuerit anima de corpore, Sacerdos cum astantibus dicat hoc sequens Responsorium.

SUbveníte Sancti Dei : Occúrrite Angeli Dómini : Suscipiéntes ánimam ejus. Offeréntes eam in conspéctu altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te : & in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. Suscipiéntes, &c. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine, & lux perpétua lúceat ei. Offeréntes, &c.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℞. Sed líbera nos á malo.
℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.
℞. Et lux perpétua lúceat ei.
℣. A porta ínferi. ℞. Erue Dómine ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace. ℞. Amen.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.
℞. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

TIbi Dómine commendámus ánimam fámuli tui N. (*fámulæ tuæ N.*) ut defúnctus (*defúncta*) sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos simpliciter dicat.

Kyrie eléison. Christe eléison.
Kyrie eléison. Pater noster, *secretò.*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. In memória ætérna erit justus.
℟. Ab auditióne malâ non timébit.
℣. Ne tradas béstiis ánimam confiténtem tibi.
℟. Et ánimas paúperum tuórum ne oblivíscáris in finem.
℣. Non intres in judícium cum servo tuo (*ancílla tua*) Dómine.
℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.
℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

SUscipe, Dómine, ánimam fámuli tui (*fámulæ tuæ*) quam de ergástulo hujus sæculi vocáre dignátus es: & líbera eam de locis pœnárum: ut quiétis, ac lucis ætérnæ beatitúdine perfruátur, & inter sanctos & eléctos tuos in resurrectiónis glória ressuscitári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Addi poterunt sequentes Psalmi & Orationes interim dum sepelietur corpus.



Ant. Suscípiat te Christus E v o v a e. 7.

Psalmus 113.

IN éxitu Israel de Ægypto: domus Jacob de pópulo bárbaro.

Facta est Judæa sanctificátio ejus: Isráel potéstas ejus.

Mare vidit & fugit: Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes: & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quòd fugísti: & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exultástis sicut aríetes: & colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra: à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum: & rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis: sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua & veritáte tua: nequándo dicant gentes, ubi est Deus eórum.

Deus autem noster in cœlo: ómnia quæcúnque vóluit fecit.

Simulácra géntium argéntum & aurum: ópera mánuum hóminum.

Os habent & non loquéntur: óculos habent & non vidébunt.

Aures habent & non aúdient: nares habent & non odorábunt.

Manus habent & non palpábunt , pedes habent & non ambulábunt: non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino: adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino: adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Qui timent Dóminum ſperavérunt in Dômino : adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtri: & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſrael : benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum: pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dñus ſuper vos: ſuper vos & ſuper fílios veſtros.

Benedícti vos à Dómino : qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino: terram autem dedit fíliis hóminũ.

Non mórtui laudábunt te Dómine : neque omnes qui deſcéndunt in infernum.

Sed nos qui vívimus benedícimus Dómino: ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Réquiem.



Ant. Suſcípiat te Chriſtus qui vocávit te & in



ſinum Abrahæ Angeli dedúcant te

Oremus

Orémus.

OMnípotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es, dum te jubénte pulvis in púlverem revértitur, tu imáginem tuam cum Sanctis & eléctis tuis, ætérnis sédibus præcípias sociári: eámque ad te reverténtem de Ægypti pártibus, blandè lenitérque suscípias: & Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas: viámque justítiæ illi demónstra & portas glóriæ tuæ áperi. Repélle, quæsumus Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum: & agnósce depósitum fidéle, quod tuum est. Súscipe Dómine creatúram tuam, non ex diis aliénis creátam: sed à te solo Deo vivo & vero: quia non est álius præter te Dómine, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica clementíssime Deus ánimam fámuli tui (*fámulæ tuæ*) & claríﬁca eam in multitúdine misericórdiæ tuæ: ne memíneris Dómine, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum & ebrietátum, quas suscitávit furor mali desidérii: licèt enim peccáverit, tamen te non negávit: sed signo fídei insignítus (*insignita*) te qui ómnia, & eum (*eam*) inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit. Qui vivis & regnas Deus, per ómnia.



Ant. Chorus Ange ló rum E v o v a e. 8.

Psalmus. 114. Diléxi quóniam exaúdiet, &c. *ut infra* pag. 167.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino : pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem ſalutáris accípiam:& nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam, coram omni pópulo ejus : pretióſa in conſpéctu Dómini mors Sanctórum ejus.
O Dómine quia ego ſervus tuus : ego ſervus tuus & filius ancíllæ tuæ.
Dirupíſti víncula mea : tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus: in átriis domûs Dómini, in médio tui Jerûſalem.
Réquiem æternam.

Pſalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes : laudáte eum omnes pópuli.
Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus : & véritas Dómini manet in ætérnum.
Réquiem ætérnam.

Pſalmi, *Ut habentur in Breviario.* Beati immaculati cum omnibus divisionibus.

Ant. Chorus Angelórum te ſuſcípiat & in ſinu Abrahæ ibi te collocet ut cum Lázaro quondã paúpere ætér-

Orémus

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur. Qui vivis & regnas Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. Amen.

Requiéſcant in pace. ℟. Amen.

****

DE VISITATIONE INFANTIUM

Infirmórum ántequam ad annos diſcretiónis pervénerint.

Sacerdos dicat Pſalmum Miſerére mei, &c. *ut ſupra pag.* 135. *vel Pſalmum ſequentem. Pſalmus* 66.

DEus miſereátur noſtri & benedícat nobis: illûminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri.

Ut cognoſcámus in terra viam tuam: in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteântur tibi pópuli Deus: confiteântur tibi pópuli ómnes.

Lætentur & exúltent gentes: quóniam júdicas pópulos in æquitáte & géntes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus Deus noſter, benedícat nos Deus: & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Antiph. Parce Dómine, parce fámulo tuo, quem [*fámulæ tuæ, quam*] redemísti Christe pretióso sánguine tuo, ne in ætérnum irascáris ei.
℣. Salvum (*Salvam*) fac servum tuum (*ancíllam tuam.*)
℟. Deus meus sperántem in te.
℣. Esto ei Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil profíciat inimícus in eo (*ea.*)
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum. (*eam.*)
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam. ℟. Et clamor, &c.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus qui Ezechiæ regi fámulo tuo ter quinos annos ad vitam donásti, ita & hunc fámulum tuum (*fámulam tuam*) à lecto ægritúdinis tuâ poténtiâ érigas ad salútem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. *Orémus.*

REspice Dómine fámulum tuum (*fámulam tuam*) in infirmitáte sui córporis laborántem, & ánimam réfove quam creásti: ut castigatiónibus tuis emendátus (*emendáta*) contínuò se séntiat tuâ medicíná esse salvátum (*salvátam*) Per Christum. *Orémus.*


VIrtútum cæléstium Deus, qui ab humánis corpóribus omnem languórem & omnem infirmitátem præcépti tui potestáte depéllis, adésto propítius huic fámulo tuo (*fámulæ tuæ*) ut fugátis infirmitátibus & víribus recéptis, nomen sanctum tuum instaurátâ prótinus sanitáte benedícat. Qui vivis & regnas Deus. Per ómnia, &c.

Benedíctio Dei omnipoténtis Patris ✠ & Fílii, & Spíritus sancti descéndat super te & máneat semper. ℟. Amen.

OFFICIUM
DEFUNCTORUM.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Antiphonâ.





Psalmus 114.


Iléxi quóniam exaúdiet Dóminus : vocem orationis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni : & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam ; miséricors Dóminus & justus : & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : humiliátus sum & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : óculos meos á lácrymis , pedes meos à lapsu.
Placébo Dómino : in regióne vivórum.
Réquiem ætérnam dona eis Dómine : & lux perpétua lûceat eis.

Antiph. Placébo Dómino in regióne vivórum. *Ant.* Heu me. *Ps.* Ad Dóminum cùm tribulárer clamávi. E v o v a e. 2.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi : & exaudívit me.
Dómine líbera ánimam meam á lâbiis iníquis : & à língua dolósa.
Quid detur tibi , aut quid apponátur tibi : ad línguam dolósam ?
Sagíttæ poténtis acútæ : cum carbónibus desolatóriis.
Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est , habitávi cum habitántibus Cedar : multùm íncola fuit ánima mea.

Cùm

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus : cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.







Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes : unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino : qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : neque dórmitet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet : qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua : ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te : neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo : cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introitum tuum, & éxitum tuum : ex hoc nunc & uſque in ſæculum.


Réquiem ætérnam.




Ant. Dó mi nus cuſtódit te ab ómni málo



cuſtódiat a ní mam tu am Dóminus.



Ant. Si iniquitátes. *Pſ.* De profúndis clamávi



ad te Dómine. E v o v a e. 8.

Pſalmus. 129.

De profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : Dómine quis ſuſtinébit ?

Quia apud te propitiátio eſt : & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem : ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia : & copióſa apud

eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſráël : ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.









Pſalmus 137.

CONfitébor tibi Dómine in toto corde meo : quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi : adorábo ad Templum ſanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super miſericórdia tua & veritáte tua : quóniam magnificáſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me : multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine ómnes reges terræ : quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini : quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus & humília réspicit : & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me : & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : Dómine misericórdia tua in sæculum, ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem ætérnam.



℣. Audívi vócem de cœlo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.



Canticum Beatæ Mariæ Virginis.

MAgníficat : ánima mea Dóminum.
Et exultávit spíritus meus : in Deo salutári meo.

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt : & ſanctum nomen ejus.

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies : timentibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo : diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede : & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis : & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſráel puerum ſuum : recordátus miſericórdiæ ſuæ.

Sicut locútus eſt ad Patres noſtros : Abraham & ſémini ejus in ſæcula.

Réquiem ætérnam. *Ant.*





Preces infrà ſcriptæ dicuntur flexis genibus ſimiliter, & ad Laudes, niſi officium fiat duplex, tunc enim omittitur ſequens Pſalmus. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera, &c.

Pſalmus. 145.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : in fíliis hóminum ; in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam : in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compéditos : Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos : Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum & víduam suscípiet : & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus Sion : in generatiónem & generatiónem.

Cujus loco ad Laudes dicitur Psalmus De profúndis, *ut suprà, pag.* 170. *qui Psalmi non dicuntur in die omnium Fidélium Defunctorum, nec in Officio duplici. In fine Psalmi.* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus qui inter Apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos Pontificáli, seu Sacerdótali fecísti dignitáte vigére : præsta quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos & benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

In die verò Commemorationis omnium Fidelium Defunctórum, quando dicitur hæc ultima tantùm Oratio, dicitur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus. Per ómnia sæcula.

In die depositionis Defuncti. Orátio.

ABsólve quæsumus Dómine ánimam fámuli tui N. ut defúnctus (*fámulæ tuæ N. ut defúncta*) sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, &c. ℟. Amen. *Vel.*

Orátio.

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere, te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. (*fámulæ tuæ N.*) quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti: ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam à sanctis Angelis súscipi, & ad pátriam paradísi perdúci: ut quia in te sperávit & crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gaúdia æ-

ærna possideat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, &c. ℟. Amen.

In die depositionis, tertio, septimo, trigesimo, & anniversario, dicitur una tantùm Oratio, quæ finitur ampliori conclusione, scilicet: Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, & regnat, &c.

In die tertio, septimo, & trigesimo depositionis Defuncti. Oratio.

QUæsumus Dómine, ut ánimæ fámuli tui N. (*fámulæ tuæ N.*) cujus depositiónis diem tértium (*septimum, trigésimum*) commemorámus, Sanctórum atque Electórum tuórum largiri dignéris consórtium: & rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c. ℟. Amen.

In Anniversario die. Orátio.

DEus Indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus: refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Si pro uno tantùm fit anniversarium, dicatur in singulari numero. Similiter & pro uno Episcopo vel Sacerdote, in Oratione Deus qui inter Apostólicos.

Si fuerit Episcopus, omittitur seu Sacerdotáli, *si tantùm Sacerdos, omittitur* Pontificáli seu.

Aliæ Orationes diversæ pro Defunctis.

Pro

Pro Defuncto Sacerdote.

PRæſta quæſumus Dómine, ut ánima fámuli tui N. Sacerdótis, quem in hoc ſæculo commorántem ſacris munéribus decoráſti, in cæléſti ſede, gloriósa ſemper exúltet. Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Pro uno Defuncto. Oratio.

INclína Dómine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam ſúpplices deprecamur, ut ánimam fámuli tui, quam de hoc ſæculo migráre juſsíſti, in pacis, ac lucis, regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe conſórtem. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Pro una Defuncta. Oratio.

QUæſumus Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ: & à contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Si fuerint plures, dicatur in numero plurali.

****

AD MATUTINUM.


Invitatorium.

Regem cui ómnia vivunt, Veníte adorémus.

Hoc Invitatorium dicitur tantùm in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infra ſcripti Nocturni: Aliis temporibus, ut etiam in die depoſitionis Defuncti tempore Paſchali dicitur tantùm unum Nocturnum cum ſuis Laudibus hoc ordine. Secundâ


& quintâ feriâ, primum Nocturnum. Tertiâ & sextâ, secundum Nocturnum. Quartâ feriâ & Sabbato, tertium Nocturnum. Quando verò dicitur tantùm unum Nocturnum semper tertium Responsorium erit, Libera me Dómine de morte ætérna, *ut habetur infrà post nonam Lectionem.*













ſuper ómnes Deos quóniam non repellet Dómi-

nus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt om-

nes fines ter ræ & altitúdines móntium

ipſe cónſpicit. Venite.

Quóniam ipsíus eſt mare & ipſe fecit illud,

& áridam fundavérunt mánus ejus: veníte ado-

rémus & procidámus ante Deum: plorémus

coram Dómino qui fecit nos, quia ipſe

est Dóminus Deus noſter, nos autem pópu-

lus ejus & óves páſcuæ ejus. Regem.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis nolíte

obduráre corda veſtra ſicut in exacerbatió-

ne: ſecúndùm diém tentatiónis in deſérto:

ubi tentavérunt me Patres veſtri, probavé-

runt & vidérunt ópera mea. Veníte.

Quadragínta annis próximus fui generatióni




huic & dixi, ſemper hi errant corde : ipſi



verò non cogno vérunt vias meas quibus jurá-




vi in irâ meâ, ſi introíbunt in ré-




quiem me am. Regem.




Réquiem ætérnam dona eis Dómine : & lux



perpétua lúceat eis : Veníte ado rémus.



Regem cui ómnia vivunt. Veníte ado-



rémus.

In primo Nocturno.



Psalmus 7.

VErba mea aúribus pércipe Dómine : intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ : Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dñe: manè exaúdies vocem meam

Manè astábo tibi & vidébo : quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem : perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus : ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : adorábo ad Templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua propter inimícos meos : dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum , linguis suis dolósè agébant : júdica illos Deus.


Décidant á cogitatiónibus ſuis, ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos : quóniam irritavérunt te Dómine.

Et lætémtur omnes qui ſperant in te : in ætérnum exultábunt & habitábis in eis.


Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces juſto


Dómine ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ : coronáſti nos.

Réquiem ætérnam.









Pſalmus 6.

DOmine ne in furóre tuo árguas me : neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei Dómine, quóniam infírmus ſum : ſana me Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valdè : ſed tu Dómine úſquequo?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes, qui operámini iniquitátem: quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Réquiem ætérnam.




Ant. Convértere Dó mine & éripe ánimam



meam, quóniã non est in morte, qui memor sit



tui. *Ant.* Nequãdo. *Ps.* Dómine Deus meus in



te sperávi. E v o v a e. 8.

Psalmus

DOmine Deus meus in te sperávi : salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me , & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam : dum non est qui rédimat , neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci ìstud : si est iníquitas in mânibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala ? décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ânimam meam , & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam : & glóriam meam in pûlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in ira tua : & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti : & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndùm justítiam meam : & secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum , & díriges justum : scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino : qui salvos facit rectos corde.

Deus Judex justus , fortis & pátiens : numquid irásci-tur per síngulos dies ?

Nisi convérsi fuéritis , gládium suum vibrábit : arcum suum teténdit , & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis : sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : concépit dolórem , & pé-

perit iniquitátem.

Lacum apéruit & effódit eum : & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus : & psallam nómini Dómini altíssimi.


Réquiem ætérnam.



Ant. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam



dum non est qui rédimat, neque qui sálvum fá-



ciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Pater noster, *secretò.*

Lectio prima.

PArce mihi Dómine : nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum cor tuum ? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam ? Peccávi : quid fáciam tibi, ô Custos hóminum ? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis ? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam ? Ec-

ce nunc in púlvere dórmiam : & si manè me quæsíeris, non subsístam.

Responsorium.

CRedo quòd Redēptor meus vi-

vit & in novíssi mo di e de

ter ra sur re ctú rus sum. Et in

cár ne me a vidé bo De um

Salvató rem me um.

℣. Quē visú rus sum eg o i pse, &

non a li us, & ó cu li mei con-



Lectio ſecunda.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ : dimíttam advérſùm me elóquium meum. Loquar in amaritúdine ânimæ meæ, dicam Deo : Noli me condemnáre. Indica mihi, cur me ita júdices ? Numquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórum ádjuves ? Numquid óculi cárnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu vidébis ? Numquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum ſcrúteris ? Et ſcias quia nihil ímpium fécerim, cùm ſit nemo qui de manu tua poſſit erúere.

Reſponſorium.



lo cum in dul gen tiæ. ℣. Qui ventu-rus

es ju di cá re vi vos & mór-

tu os & ſæ culum per i gnem. Tu

e is.

Lectio tertia.

MAnus tuæ Dómine fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu, & ſic repéntè præcípitas me? Meménto quæſo, quod ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me, óſſibus & nervis compegíſti me. Vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

DO mi ne quando vé ne ris

ju di cá re terram, u bi me abſcón-

dam à vul tu i ræ

tu æ. Qui a pec cá vi ni mis

in vita me a. ℣. Commiſſa me-

a pa veſco, & ante te e ru-


beſ co: dum vé ne ris ju di cá re noli me

condem ná re. Quia.

Quando dicitur tantùm præcedens Nocturnum, loco hujus Reſponſorii dicitur. ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna, *ut infra poſt nonam Lectionem.*

IN SECUNDO NOCTURNO.





DOminus regit me & nihil mihi déerit : in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ : propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus : ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam : advérſùs eos qui tribulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum : & calix meus inébrians quàm præclárus eſt.

Et miſericórdia tua ſubſequétur me : ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini : in longitúdinem diérum. Réquiem ætérnam.





AD te Dómine levávi ánimam meam : Deus meus in te confído , non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei : étenim univérſi, qui ſúſtinent te non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes , ſupervácuè.

Vias tuas Dómine demónſtra mihi : & ſémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua & doce me : quia tu es Deus Salvátor meus , & te ſuſtínui tota die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine : & miſericordiárum tuárum , quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ , & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto mei tu : propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus : propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício : docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini miſericórdia & véritas : requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : multum eſt enim.

Quis

Quis eſt homo qui timet Dñum? legem ſtátuit ei in via, quam elégit. (bit terram.

Anima ejus in bonis demorábitur: & ſemen ejus hæreditá-

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum: & teſtaméntum ipsíus, ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum: quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos. (ego.

Réſpice in me & miſerére mei: quia únicus & pauper ſum

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum: & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos: quóniam multiplicáti ſunt: & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam & érue me: non erubéſcam quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæſérunt mihi: quia ſuſtínui te.

Líbera Deus Iſraël: ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Réquiem ætérnam.



Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorãtias meas



ne memí ne ris Dómine. *ãt.* Credo. *Pſ.* Dóminus illu-



miná tio mea & ſalus mea. E v o v a e. 4.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea: quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: à quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes: ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei: ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra: non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me prælium: in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini, ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dñi: & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: cantábo & psalmum dicam Dómino.

Exaúdi Dómine vocem meam, quâ clamávi ad te miserére mei, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me: ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto: ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam Pater meus & Mater mea dereliquérunt me: Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua: & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.


Credo vídere bona Dómini: in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: & confortétur cor tuum & sústine Dóminum.

Réquiem ætérnam.



Ant. Credo vi dé re bona Dómini in terra



vivéntium.

℣. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus.

℟. Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster, *secretò.*

Lectio quartâ.

Respónde mihi: quantas hábeo iniquitátes & peccáta, scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea.

Responsorium.

HEu mi hi Dómi ne, quia pec-

cá vi ni mis in vi ta me a:

quid fáciam mi ser? u bi fu gi am,


ni si ad te De us me us? mise-

ré re me i. Dum ve ne-

ris in no vi ssi mo di e.

℣. A nima me a tur bá ta est val dè: sed

tu Dómine suc cúrre e i.



Lectio quinta.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde paúlulum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, & sicut mercenárii dies ejus.

Responsorium.



i gnem. ℣. Dí ri ge Dó - mi ne

De us me us in conspéctu tuo vi

am me am. Dum ve.

Lectio sexta.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti: sed parce peccátis meis.

Responsorium.

COngregá ti sunt De us ad devorán-

dum me se du ctó res

mei ſcripta te nén tes ma la quæ

geſ ſi Er go voci ferãtur dicén tes De us

de re líquit e um perſequímini & comprehéndite

eum qu ia non eſt qui li beret

eum Deus me us ne e longeris à me

Deus me us in au xí li um me um réſ pi-

ce De us me us in adju tó rium me-

um in tén de. ℣. Delícta ju ventú-

tis me æ ne memíneris Dó mine, & ne a vér tas fáciem tu am á me, quó ni am trí bu lor ve ló ci ter exaú di me Dó- mi ne. Er go.

Quando dicitur tantùm præcedens Nocturnum loco hujus Responsorii dicitur ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna, *ut infra post nonam Lectionem.*

IN TERTIO NOCTURNO.



Ant. Compláceat. *Ps.* Expéctans expectávi Dómi-



num. E v o v a e. 2.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum : & inténdit mihi.
Et exaudívit preces meas : & edúxit me de lacu misériæ & de luto fecis.

Et státuit super petram pedes meos : & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum : carmen Deo nostro.

Vidébunt multi & timébunt : & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : & non respéxit in vanitátes, & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua : & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum : multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti : aures autem perfecísti mihi.

Holocaústum & pro peccáto non postulásti : tunc dixi,

ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: Deus meus vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi juſtítiam tuam in Eccléſia magna: ecce lábia mea non prohibébo, Dómine tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo: veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam: & veritátem tuam à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: miſericórdia tua & veritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei: & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me: Dómine ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul qui quærunt ánimam meam: ut áuferant eam.

Convertántur retrórſum & revereántur: qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, qui dicunt mihi, Euge, euge.


Exúltent & lætántur ſuper te omnes quæréntes te: & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui diligunt ſalutâre tuum.

Ego autem mendícus ſum & pauper: Dóminus ſollícitus eſt mei.

Adjútor meus & protéctor meus tu es : Deus meus ne tardáveris.


Réquiem ætérnam.











Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & paúperem : in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra : & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi, Dómine miserére mei: sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: Quando moriétur & perîbit nomen ejus.

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras: & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: nunquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei & ressúscita me: & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me: quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Isráël à sæculo & usque in sæculum: fiat, fiat.

Réquiem ætérnam,

Ant. Sana Dómine ánimam meam quia peccávi tibi *Ant.* Sitívit *Ps.* Quemádmodũ desíderat cervus ad fontes aquárum. E v o v a e. 8.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi quotídie, ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effudi in me ánimam meam: quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis: sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea: & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutáre vultus mei & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: proptérea memor ero tui de terra Jordánis: & Hermoníim, à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat : in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua & fluctus tui : super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : dicam Deo, suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei ? & quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus ?

Dum confringúntur ossa mea : exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me.

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : salutáre vultus mei, & Deus meus.


Réquiem ætérnam.



Ant. Sití vit ánima mea ad Deum fortem vivum:



quando vé niam & apparé bo ante fá ci em



Dómini.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi.

℟. Et ánimas paúperum tuórum ne oblivíscáris in finem.

Pater noster, *secretò*.

Lectio ſeptima.

SPíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & ſolum mihi supereſt ſepúlchrum. Non peccávi: & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me. Dies mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rurſum poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi, Pater meus es: Mater mea & Soror mea vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea & patiéntia mea? Tu es Dómine Deus meus.

Reſponſorium.

PEccántem me quo tí di e & non pœ ni tén tem, ti mor mortis contúrbat me. Quia in in fér no nulla eſt redémptio, miſe ré re me i

De us & sal va me ℣. De us in nó mi ne tuo salvum me fac Dómine & in vir tú te tua lí be ra me. Quia.

Lectio octava.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum & derelícta sunt tantùmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det, ut exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: & rursum circúmdabor pelle mea, & in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

Responsorium

Responsorium.

LIbera me Dómine de viis in férni. Qui portas æreas confregísti, & visitásti in férnum, & de dísti eis lumen ut vidérent te, qui erant in pœnis tenebrárum.

P. Ee



Lectio nona.

QUare de vulva eduxíſti me? qui útinam conſúmptus eſſem, ne óculus me vidéret. Fuíſſem quaſi non eſſem, de útero tranſlátus ad túmulum. Nunquid non paúcitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte me ergo, ut plangam paúlulum dolórem meum: ántequam vadam & non revértar, ad terram tenebróſam, & opértam mortis calígine: terram miſériæ & tenebrárum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempitérnus horror inhábitat.

Reſponſorium.



ter ra. Dum vé ne ris ju di-

cá re sæ culum

per i gnem. Dies il la di es i ræ

ca la mi tá tis & mi sé ri æ, di es magna &

a má ra val de. Quãdo. ℣. Quid er go mi-

sér ri mus, quid di cam, vel quid fá ci am

dum nil bo ni pér fe ram an te tan-

tum jú di cem. Dum. Vix justus sal vá-



AD LAUDES.

Absolutè incipitur Antiphona.



Psalmus 50.

MIserére mei Deus : secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : & peccátum meum contra me est semper.

Tibi

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci: ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum: & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti: incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam: & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui: & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus Deus, Deus ſalútis meæ: & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries: & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifícium, dedíſſem útique: holocáuſtis non delectáberis.


Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus: cor contrítum & humiliátum Deus non deſpícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes, & holo-

cáuſta : tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.


Réquiem æternam, &c.



Antiph. Exul tábunt Dño oſ ſa hu mili á ta.



Antiph. Exáudi Dómine. *Pſal.* Te decet hymnus Deus



in Si on. E u o u a e. 8.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exáudi orationem meam : ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos : & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti : inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus ſalutáris noſter : ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : éxitus matutíni & veſperè delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam : multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto : clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem ætérnam, &c.







Psalmus 62.

DEus Deus meus ; ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea : quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa : sic in sancto appá-

rui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea : & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te : me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis : illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes : quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : & métuant eum omnes fines terræ.

Réquiem ætérnam, &c.



Antiph. Me ſuſ cé pit déxtera tua Dómine.



Antiph. A por ta ín fe ri. *Cant.* Ego di xi in



dimídio diérum meórum. E u o u a e. 2.

Canticum Ezechiæ.

EGo dixi, In dimídio diérum meorum : vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum : dixi, Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aſpíciam hóminem ultra : & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, & convolúta eſt à me : quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea, dum adhuc ordírer ſuccídit me : de mane uſque ad véſperam fínies me.

Sperábam uſque ad mane : quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De mane uſque ad véſperam fínies me : ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei : ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine vim pátior, reſpónde pro me : quid dicam, aut aut quid reſpondébit mihi, cum ipſe fécerit ?

Recogitábo tibi omnes annos meos : in amaritúdine

ánimæ meæ.

Dómine ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritus mei, corrípies me, & vivificábis me : ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam, ut non períret : projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : non expectábunt, qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.


Vivens vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie : pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine ſalvum me fac : & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam, &c.



Antiph. A por ta ín fe ri, é ru e Dómine



á nimam meam. *Ant.* Omnis ſpí ritus. *Pſal.*



Lau dá te Dóminum de cælis. E u o u a e 7.

Pſalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis : laudáte eum in excélſis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum ſol & luna : laudáte eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt : ipſe mandávit & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſæculum ſæculi : præcéptum póſuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra : dracónes & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum : quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles : ligna fructífera & omnes cedri.

Béſtiæ & univérſa pécora : ſerpéntes & vólucres pennatæ.

Reges terræ & omnes pópuli : príncipes & omnes júdices terræ.

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus laudent nomen Dómini : quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cælum & terram : & exáltavit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus : fíliis Iſrael, pópulo appropinquánti ſibi.

Pſalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum : laus ejus in Eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo, qui fecit eum : & fílii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano & pſaltério pſallant ei.

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo : & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt sancti in glória : lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam víndictam in natiónibus : increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : laudáte eum in psaltério & cythara.

Laudáte eum in tympano & choro : laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine : & lux perpétua lúceat eis.



Antiph. Omnis spí ritus lau det Dóminum.

℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi.

℟. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Antiph.





Canticum Zachariæ.

BEnedíctus Dóminus Deus Ifrael : quia vifitávit, & fecit redemptiónem plebis fuæ.

Et eréxit cornu falútis nobis : in domo David púeri fui.

Sicut locútus eft per os fanctórum : qui à fæculo funt, prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis noftris : & de manu ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam mifericórdiam cum pátribus noftris : & memorári teftaménti fui fancti.

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noftrum : datúrum fe nobis.

Ut fine timóre de manu inimicórum noftrórum liberáti : ferviámus illi.

In fanctitáte & juftítia coram ipfo : ómnibus diébus noftris.

Et tu puer, prophéta altíffimi vocáberis : præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam fciéntiam falútis plebi ejus : in remiffiónem peccatórum eórum.

Per vífcera mifericórdiæ Dei noftri : in quibus vifitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine: & lux perpétua lúceat eis.

Antiph. E go ſum reſurréctio & vi ta: qui cre dit in me, é ti am ſi mórtuus fú e rit, vivet: & om nis qui vi vit & cre dit in me, non mori é tur in æ térnum.

Deinde Pater noſter. *Pſalmus* De profundis, *ut ſupra, pag.* 170. *cum Precibus & Orationibus officio congruentibus, ut ſupra in Veſp.*

DE EXEQUIIS
DEFUNCTORUM.

1. *UM sacri ritus, quibus in exequiis filiorum suorum utitur sancta mater Ecclesia, antiquitùs sint traditi, sintque Christianæ Religionis tanquam mysteria, pietatisque signa, & salutaria pro fidelibus suffragia, eos Parochi mente tenere, & religiosè observare debent, tum ad defunctorum salutem, tum ad vivorum ædificationem, & non ad quæstum; sequentium igitur sit fidelis observator.*

2. *Nullum corpus sepeliatur, nisi viginti quatuor circiter horis elapsis, postquam spiritum exhalarit, præsertim ubi morbus fuerit brevissimus, aut subitanea mors : tempore verò pestis, vel alterius morbi contagiosi, vel propter gravem cadaveris fœtorem aut corruptionem, aliter se gerere poterit Parochus.*

3. *Reverentiæ hoc detur præcipuis Ecclesiæ solennitatibus, scilicet Nativitatis Domini, Parasceves Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & Patroni loci, ne in illis corpora defunctorum terræ mandentur, nisi magna necessitas urgeat, & tunc Missa & Officium defunctorum in crastinum diem transferantur.*

4. *In aliis verò Festivitatibus & Dominicis poterit fieri sepultura, & una tantùm Missa defunctorum præsente corpore celebrari, Officiumque defunctorum in diem proximè sequentem non impeditum*

transferri; modò tamen officium diei Festivi aut Dominici non impediatur, & Missa Parochialis de Festo aut de Dominica horâ consuetâ celebretur.

5. Ordinarius sepulturæ locus est Cœmeterium benedictum, muris vel sepibus ita clausum, ut bestiæ arceantur, & in quo crux lignea vel lapidea justæ altitudinis sit erecta.

6. Caveat Parochus, ne quid profanum in Cœmeterio patiatur; ideò prohibeat, ne nundinæ, mercatus, ludi, choreæ, spectacula, & alia id genus in eo habeantur, & multò magis ne ad animalium pastum locetur.

7. Nemini unquam, sive Clerico, sive Laïco, prope altare detur sepultura; neque detur in choro, nisi iis ad quos de jure pertinet. Optimum esset, ut Ecclesiasticorum sepultura fieret in honoratiori loco, sive in Cœmeterio circa Crucem, sive in navi Ecclesiæ ante Crucifixum.

8. Non patiatur Parochus super defunctorum tumulos fieri inscriptiones, quæ aut quid ridiculum, aut quid irreligiosum contineant; neve erigi tumulos, qui Officium Divinum ceremoniasque Ecclesiæ tum in choro, tum navi, tum altaribus impediant.

9. Advertant Parochi aliique Sacerdotes, ne sepulturæ causâ quidquam paciscantur, aut sordidè exigant; sed iis, quæ aut laudabili consuetudine dari solent, aut D. Episcopus constituerit, contenti sint: pauperes verò, eosque qui propriis sumptibus vix humari possunt, gratis sepeliant.

10. Non licet corpus sepulturæ semel traditum aut exhumari, aut in aliud sive Cœmeterium, sive sepulchrum transferri, nisi priùs obtenta à D. Episcopo licentia.

11. Laïci pedibus versus altare positis sepeliantur, Sacerdotes verò capite; omnes tamen ad Ecclesiam pedibus ad eam versis deferantur.

12. Non licet mulieribus, virginibus, aut puellis, mulierum aut

puellarum corpora nec ad Ecclesiam, nec ad sepulchrum efferre, nec ea terræ mandare, nec quidquam agere, quod superstitionem redoleat.

13. *Tempore pestis nullum corpus in Ecclesia sepeliatur, neque in eam, neque in ejus vestibulum inferatur, sed rectâ viâ à loco, ubi decesserit, in Cœmeterium aut locum Cœmeterii designatum efferatur, citoque sepeliatur.*

14. *Decet defunctos Sacerdotes apertâ facie & Sacerdotalibus vestibus indutos, amictu scilicet super vestem talarem, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, planetâ nigri coloris aut violacei, & bireto inhumari. Laïcorum verò corpora, cujuscunque conditionis sint, nullatenus detegantur.*

15. *Sibi prohibitum esse sciant* Parochi, *ut nonnullorum abusum tolerent, qui de ceremoniis Ecclesiæ minùs religiosè sentientes, volunt ut mortuorum suorum corpora vel domo in Ecclesiam* Parochialem, *vel è* Parochia *in aliam Ecclesiam sine solennitate, sæpè sine Cruce, sine cereis, sine Clero, sæpè nocte, sive in curru, sive per portitores deportent. Ideò corpus mortui, cujuscunque sit conditionis, maneat in loco ubi decessit, quousque Pastor cum convocato suo Clero horâ ab ipso designatâ venerit, ut corpus defuncti in Ecclesiam suam deducat, & Officium exequiasque ibi expleat.*

16. *Quòd si mortuus extra* Parœciam *sit sepeliendus, expleto in propria* Parœcia *Officio, præsente corpore,* Pastor *loci aut ejus Vicarius cum toto Clero, aut parte ejus, præeunte Cruce & saltem duobus cereis, ad* Parochiam *vel Monasterium, ubi electa est sepultura, cadaver deducet. Et ubi ad medium navis Ecclesiæ pervenerit,* Parochum, *aut Superiorem, aut eum, qui præest, alloquetur, eumque aut gallicâ aut latinâ voce certum faciet, N. defunctum omnibus (vel quibusdam) Sacramentis, & aliis bonis morientium dispositionibus munitum, prout cognoverit, è vivis excessisse; nescire tamen*

quid in momento mortis inter Deum & defunctum actum fuerit: Ideò Ecclesiæ suffragia ab eo suppliciter exposcet, animamque sui defuncti precibus, & corpus honorificæ commendabit sepulturæ; videat tamen, ne hoc faciat aut nimium gesticulando, aut nimium clamosa & declamatoria voce: postea tantisper morabitur, ut det locum respondendi ei, qui præest in Ecclesia, ubi electa est sepultura: his peractis, Parochus cum Clero suo vel in eodem loco, vel in choro pro dignitate defuncti dicet Responsorium & Orationem super feretrum, illudque aquâ asperget. Tandem stolâ suâ indutus recedet, & cum Clero suo in silentio ad suam Ecclesiam eo ordine, quo venit, revertetur.

17. Parochus habeat librum à Judice loci quolibet folio obsignatum, in quo diligenter scribat nomen, qualitatem, & quantum fieri potest, ætatem & domicilium defunctorum, etiam infantium, scribatque nomen duorum testium, qui cum eo in dicto libro chirographum suum apponant.

18. Quoad sonitum campanarum hic servetur ordo, ut scilicet ubi moribundus è vivis excesserit, per spatium semihoræ tantùm pulsentur, ad vesperam & crastinâ die ante vigilias similiter per semihoram; pulsentur quoque per quadrantem ad convocationem Cleri & populi; & durante Prosâ, duranteque sepulturâ.

(**************************************)

QUIBUS NEGANDA EST SEPULTURA.

1. S. NEganda est Paganis, Judæis, omnibus Infidelibus, Hæreticis, à Christiana fide Apostatis, Schismaticis, publicis majori excommunicatione excommunicatis, nominatim interdictis, &

iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante, & infantibus absque baptismo mortuis.

2. *Negetur seipsos occidentibus ob desperationem, vel ob iracundiam (non tamen si id ex insania accidat) nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint.*

3. *Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt; atque etiam in duello morientibus, etiamsi ante obitum pœnitentiæ signa dederint.*

4. *Iis de quibus publicè constat, quòd sacramenta Confessionis semel in anno & Communionis in Pascha non susceperint, & absque ullo contritionis signo obierint.*

5. *Ubi verò in prædictis casibus, & in aliis id genus, quid difficile, aut periculosum occurrerit, consulatur D. Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis.*

****

ORDO DEFERENDI CORPUS DEFUNCTI ad Ecclesiam.

Condictâ horâ, quâ defuncti corpus ad Ecclesiam deferri debeat, convocentur Clerus & populus per sonitum campanarum. Et Clero per ordinem in navi Ecclesiæ disposito, Parochus aut ejus Vicarius superpelliceo & stolâ, vel etiam pluviali nigri coloris indutus, præcedente Clero, præcedentibusque Cruce & aquâ benedictâ, modestè in silentio & ordinatim domum defuncti procedet. Et ubi illuc pervenerit, corpus aquâ benedictâ asperget, & dicet,

Pater noster, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris Dómine : Dómine quis ſuſtinébit ?

Quia apud te propitiátio eſt : & propter legem tuam ſuſtínui te Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem : ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia : & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael : ex ómnibus iniquitátibus ejus.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue Dómine ánimam ejus.
℣. Requiéſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

OREMUS.

SUscipe, Dómine, ánimam fámuli tui (*fámulæ tuæ*) quam de ergástulo hujus sæculi vocáre dignátus es, & éripe eam de loco pœnárum, ut quiétis ac lucis ætérnæ beatitúdine perfruátur, & inter Sanctos ac eléctos tuos in resurrectiónis glóriâ resúscitari mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde asperget cadaver aquâ benedictâ in modum Crucis, dicens,
℣. Réquiem ætérnam dona ✠ ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

His dictis, deferatur corpus ad Ecclesiam, præcedentibus Laïcorum confraternitatibus, deinde Regularibus, si adsint, tum sequente Clero per ordinem, moxque proximum feretro locum tenente Parocho, aut ejus Vicario, circumstantibusque luminibus, ac denique subsequentibus, qui funus comitari debuerint. Sitque ut supra detectâ facie, & sacerdotali vestitu indutum corpus, si Sacerdotis; solito autem more opertum, si aliorum. Et in itinere cantetur à Clero Responsorium Líbera me Dómine, &c. *ut supra pag.* 210. *deinde alia Responsoria & Psalmi ex vigiliis mortuorum, prout longitudo itineris postulaverit, donec perveniatur ad Ecclesiam, ubi in navi, vel in Choro, pro personæ qualitate, vel loci consuetudine, feretrum super fulcrâ ligneâ collocandum est.*

****

ORDO SEPULTURÆ.

D*EPOSITO, ut jam dictum est, in Ecclesiâ feretro, & cereis accensis circa corpus, statim celebretur officium defunctorum cum uno vel tribus Nocturnis ac Laudibus, secundùm consuetudinem loci, nisi ante celebratum fuerit, vel ut infra, ob temporis angustias,*

aliamve causam rationabilem omittendum videbitur.

Post Laudes, si tempus congruum fuerit, celebretur Missa solennis pro defuncto, ut in Missali.

Finitâ autem Missâ, depositisque casulâ & manipulo, Sacerdos accipiat pluviale nigri coloris, & cum Ministris ac reliquo Clero, præcedente Cruce cum duobus Ceroferariis, accedens ad feretrum absolutè dicat sequentem Orationem in tono Orationis, & altâ voce:

NOn intres in judícium cum servo tuo (*ancílla tua*) Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio. Non ergo eum (*eam*) tua quæsumus judiciális senténtia premat, quem (*quam*) tibi vera supplicátio fidei Christiánæ comméndat, sed grátiâ tuâ illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui (*quæ*) dum víveret, insignítus (*insignita*) est signáculo sanctæ Trinitátis. Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde ipso Parocho vel Præcentore incipiente, Clerus circumstans cantet sequens Responsorium.

Of fe rén tes e am in con ſpé-

ctu Al tíſ ſi mi. ℣. *Suſcí pi at*

te Chriſtus, qui vo cá vit

te, & in ſi nu A brahæ Ange li

de du cant te. Of fe réntes.

Deinde Sacerdos in tono Chori dicet,

Sacerd. Kyri e e lé y ſon. *Chor.* Chriſte

e lé y ſon. Ky ri e e lé y ſon.

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

FAc, quæsumus Dómine, hanc cum fámulo tuo defuncto (*ancílla tua defúncta*) misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui (*quæ*) tuam in votis ténuit voluntátem, ut sicut eum (*eam*) vera fides junxit fidélium turmis, ita illic eum (*eam*) tua miserátio sóciet Angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

His autem dictis, incipitur Antiphona sequens cum suo Psalmo, & corpus defuncti, defunctæve, aquâ benedictâ aspergendum est, & ad locum sepulturæ deferendum, & propè fossam collocandum, ubi remanebit, quousque sequens Psalmus cum sua Antiphona cantatus fuerit.



Antiph. Ingrédiar. *Psal.* Quemádmodum de-sí de rat



cervus ad fontes a quárum. E u o u a e. 2.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, &c. *ut supra pag.* 205. & *in fine* Réquiem ætérnam dona ei Dómine, &c.





Dum cantatur præcedens Pſalmus, Sacerdos ſubmiſſa voce benedicat ſepulchrum, ſi jam non fuerit benedictum, dicens,


OREMUS.

DEus, cujus miſeratióne ánimæ fidélium requiéſcunt, hunc tumulum benedícere dignáre, eíque Angelum tuum ſanctum députa custódem, & quorum quarumque córpora hîc ſepeliéntur, ánimas eórum ab ómnibus abſólve vínculis delictórum, ut in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine læténtur. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. Amen.

Finitâ Oratione aſpergat Sacerdos aquâ benedictâ corpus & tumulum, & ſtatim à portitoribus corpus inferatur in ſepulchrum.

Ubi incepta fuerit Antiphona ſequens De terra, *ſtatim celebrans parum terræ ſuper corpus in foſſâ vel loco ſepulturæ exiſtens ter projiciat, dicens qualibet vice,* In nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen. *& mox qui ad hoc conſtituti fuerint, ipſum humo cooperiant.*





Pſalmus 138.

DOmine probáſti me, & cognovíſti me: tu cognovíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longe: ſémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti.

Et omnes vias meas prævidíſti: quia non eſt ſermo in linguâ meâ.

Ecce Dómine tu cognovíſti ómnia noviſſima & antíqua: tu formáſti me, & poſuíſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me: confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo: & quò à facie tuâ fugiam?

Si aſcéndero in cælum, tu illic es: ſi deſcéndero in inférnum, ades.

Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitávero in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenébit me déxtera tua.

Et dixi, fórſitan ténebræ conculcábunt me: & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur: ſicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos: ſuſcepíſti me de utero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es: mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occulto: & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, & in libro tuo omnes scribéntur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur: exsurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres: viri sánguinum declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: accípient in vanitate civitátes suas.


Nonne qui odérunt te, Dómine óderam,: & super inimícos tuos tabescébam.

Perfécto ódio óderam illos: & inimíci facti sunt mihi.


Proba me Deus, & scito cor meum: intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: & deduc me in via ætérna.

Réquiem ætérnam dona ei Dómine, & lux perpétua lúceat ei.



Antiph. De ter ra plas más ti me, & carnem



indu í sti me: redémptor meus Dó mi ne,



Kyrie eléiſon. Chriſte eléiſon.
Kyrie eléiſon. Pater noſter, &c.

ORÉMUS. *altâ voce.*

Satisfáciat tibi, quæſumus Dómine Deus noſter, pro ánimâ fámuli tui (*fámulæ tuæ*) beatíſſimæ Vírginis Maríæ, omniúmque Sanctórum tuórum orátio, & præſéntis famíliæ húmilis ac devóta ſupplicátio, ut peccatórum ómnium véniam, quam precámur, obtíneat; neque eum (*eam*) patiáris cruciári gehennálibus flammis, quem (*quam*) Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti pretióſo ſánguine redemiſti. Per eundem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum, &c.

Addatur ſequens Reſponſorium.





líbera

lí be ra á ni mam e jus de in férni

vo rá gi ne, & de mi níſtris tar tá-

re is mi ſe rá tor ab ſól ve, &

cun cta e jus pec cá ta o bli vi ó ne

per pé tu a dele, e ám que ad lu cem

tu am An ge li trahant, Para di sí que

já nu am in tro dúcant, ut dum cor púſ-

culum púlve ri trá di tur, ad æ terni tá-





Deinde Pſalmus





ut ſupra pag. 170.

Et eo finito cum Réquiem ætérnam, *repetatur* ℣. Dómine miserére ſuper iſto peccatóre. (*iſta peccatríce.*)

Deinde dicat Sacerdos Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória ætérna erunt juſti.

℟. Ab auditióne mala non timébunt.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. OREMUS.

ABſólve, quæſumus Dómine, ánimam fámuli tui N. (*fámulæ tuæ N.*) & ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum, ut in reſurrectiónis glória inter Sanctos & eléctos tuos reſſuſcitáti reſpírent.

DEus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, fámulis & famulábus tuis ómnibus, hîc & ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum; ut à cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. Pater noster.

His omnibus, aut ex parte pro temporis opportunitate dictis, Sacerdos tumulum aquâ benedictâ aspergat; & mox seu ad Ecclesiam, seu ad Sacristiam redeundum sit, redeundo sine cantu cum suis Clericis dicat Psalmum Miserére mei Deus, &c. *ut supra pag.* 212. *& in fine* Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. OREMUS. Fidélium Deus ómnium, &c. *ut supra pag.* 175.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

****

BREVIOR SEPELIENDI MODUS in necessitate observandus.

TEmpore pestis, aut aliâ urgenti necessitate, Officium divinum & Missa ad diem proximè vacantem differri poterunt, ceremoniæque sepulturæ sic abbreviari, ut scilicet statim ubi dicta fuerit Oratio Non intres, *intonetur Antiphona* De terra, *& dicatur* Dómine probásti me, &c. *& dum cantatur iste Psalmus, fiat sepultura, & in fine Psalmi Sacerdos dicens* Réquiem ætérnam, &c. *cum Oratione* Satisfáciat, &c. *&* Requiéscat in pace, *tumulum aquâ benedictâ aspergat, & ad Ecclesiam, seu Sacristiam, ut priùs, revertatur.*

Si necessitas postulet, ut plura corpora simul efferantur, aut in eodem tumulo sepeliantur, tunc Sacerdos singularem numerum in pluralem mutabit, necnon & genus, si diversi sint sexus.

****

ORDO SEPULTURÆ SACERDOTUM.

1. *IN sepultura Sacerdotum omnia observentur, sicut in sepultura Laïcorum, iis exceptis, quæ sequuntur.*

2. *Ubi corpus in Ecclesiam delatum fuerit, quantum fieri poterit, in choro detectâ semper facie deponatur, & Sacerdos celebrans finitâ Missâ (si tempus congruum fuerit) casulam & manipulum in cornu Evangelii deponat, & pluviale, seu cappam nigri coloris induat: tum præcedentibus Clerico vas aquæ deferente, & Thuriferario, sequentibus deinde crucem inter duos Ceroferarios deferente, postea Subdiacono & Diacono, ultimò Sacerdos celebrans procedat.*

3. *Ubi omnes ad corpus accesserint, is qui crucem defert inter duos Ceroferarios, sistat ad pedes corporis (cujus caput est altari obversum) sitque inter illum & corpus spatium quatuor circiter pedum, ut Celebrans & Ministri corpus liberè circuire, Crucemque inclinatione aut genuflexione salutare facilè possint. Sacerdos verò ad caput corporis sistat, Cruci rectâ lineâ obversus, Diaconum habens à dextris, Subdiaconum à sinistris, Thuriferarium & Clericum vas aquæ deferentem à tergo. Reliqui denique Sacerdotes & Clerici chorum tenentes maneant in suis locis, donec corpus ad tumulum deferatur.*

4. *Ubi omnes sunt ita dispositi, Celebrans incipit tono Orationis* Non intres, *ut supra pag. 230. deinde tria cantantur à choro Responsoria, scilicet* Subvenite, *pag. 230.* Qui Lazarum, *pag. 188. &* Libera me Dómine, *pag. 210. & in fine cujuslibet Responsorii Sacerdos dicat* Kyrie eleyson, *& reliquas preces, ut suprà*

pag. 231. *&* 232. *& in fine precum dicat Orationem, scilicet ad primum Responsorium,* Deus qui inter Apostólicos Sacerdótes, &c. *ut in fine Vesperarum, pag.* 174. *ad secundum,* Fac quæsumus, &c. *ut supra pag.* 232. *ad tertium,* Præsta quæsumus, &c. *ut in fine Vesperarum, pag.* 176.

5. *Versus finem Responsorii, Thuriferarius thuribulum, & Diaconus naviculam præbeant Sacerdoti, qui imponat incensum in thuribulo, dicens,* Ab illo benedicáris, in cujus honórem cremáberis.

Et finito Responsorio, dicat Sacerdos Kyrie eléyson, *Chorus* Christe eléyson, Kyrie eléyson. *Sacerd.* Pater noster. *Tum accepto à manu Diaconi thuribulo, ipse medius inter ipsum Diaconum & Subdiaconum fimbrias pluvialis elevantes, corpus seu feretrum ad utrumque latus ter incensat, scilicet ad caput, medium, & pedes, incipiendo à dextra sua, ita ut corpus seu feretrum semper ad lævam habeat; & ubi pervenerit ad Crucem, eam inclinatione salutat, Ministri verò genuflexione, seu inclinatione, si sint Canonici; deinde revertitur ad locum, unde exierat. In fine secundi & tertii Responsorii eodem modo incensat ac in primo, hoc excepto, quòd scilicet incipit tertiam incensationem à læva sua, id est à latere Evangelii; sicque ter circuit, terque incensat, & qualibet vice reversus ad locum suum dicat,* Et ne nos indúcas, &c. *reliquos versus & Orationem, ut suprà. Reliqua ut in sepultura Laïcorum.*

(✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽)

ORDO SEPULTURÆ PARVULORUM.

SI *infans moriatur absque baptismo, non est sepeliendus in Ecclesia, nec in Cœmeterio; sed propter humanæ naturæ dignitatem, in loco honesto sepeliatur, absque Sacerdotibus, aut ullis precibus.*

Si verò post baptismum susceptum infans decesserit, hoc modo sepe-

liendus est in Ecclesia, vel Cœmeterio.

Sacerdos indutus superpelliceo & stolâ albâ, cùm ad locum venerit, ubi defuncti corpus est, asperget feretrum aquâ benedictâ, & Psalmum sequentem alternatim recitandum incipiet.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum: laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum: laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus: & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat: & humília réspicit in cælo & in terra.

Súscitans à terra ínopem: & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus: cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, &c.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vóbiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens & mitíssime Deus, qui ómnibus párvulis renátis fonte baptísmatis, dum migrant à sæculo, sine ullis eórum méritis vitam íllicò largíris ætérnam, sicut ánimæ hujus párvuli (*párvulæ*) hodie crédimus te fecísse: fac nos, quæsumus Dómine, per intercessiónem beátæ semper Vírginis, & ómnium Sanctórum tuórum hîc purificátis

tibi méntibus famulári, & in Paradíso cum beátis párvulis perénniter sociári. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Posteà deferatur corpus ad Ecclesiam, & in itinere cantetur

Psalmus 118.

BEáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.
Beáti qui scrutántur testimónia ejus: in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem: in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti: mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ: ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar: cum perspéxero in ómnibus mandatis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam: non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam: in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine: doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis: pronunciávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum: sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: non oblivíscar sermónes tuos.

RETríbue ſervo tuo, vivífica me : & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos : & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra : non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas : in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos : maledícti qui declínãt à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum : quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adverſum me loquebántur: ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt : & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea : vivífica me ſecúndum verbum tuum.

Vias meas enunciávi, & exaudíſti me : doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me : & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædío : confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis âmove à me : & de lege tua miſerére mei.

Viam veritátis elégi : judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis Dómine : noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri : cum dilatáſti cor meum.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Cantari etiam poterit Reſponſorium Credo quòd redémptor, &c. *ut ſupra pag.* 187. *ſed non aliud; & hæc omnia, prout longitudo itineris patietur.*

Cùm

Cùm ad Ecclesiam ventum fuerit, Sacerdos incipiat Antiphonam sequentem Juvenes & virgines: *& interim dum cantabitur Psalmus* Laudate Dominum de cælis, *cum duobus sequentibus, pergat cum Cruce, candelabris, & aquâ benedictâ ad tumulum, ubi ter injiciet terram super corpus defuncti, dicens,* In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen. *& aquâ benedictâ asperget.*



Antiph. Jû venes & vír gi nes. *Psalmus.*



LAudáte Dóminum de cælis. E u o u a e.

cum duobus sequentibus, ut supra, pag. 218. & in fine Glória Patri, &c.




Ant. Júvenes & vír gines, senes cum ju ni ó ribus,




lau dá te Dóminum de cælis.

Si nondum tumulatus puer fuerit, addi etiam poterit sequens Antiphona cum Cantico trium puerorum.



Antiph. Be ne dí cite. *Cant.* Bene dí cite ómnia



Canticum trium puerorum. DANIEL. 3.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino : laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino : benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes quæ super cælos sunt Dómino : benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol & luna Dómino : benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber & ros Dómino : benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis & æstus Dómino : benedícite frigus & æstus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino : benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino : benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino : benedícite fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum : laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite montes & colles Dómino : benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino : benedícite mária & flumina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia quæ movéntur in aquis Dó-

mino : benedícite omnes vólucres cæli Dómino.

Benedícite omnes béſtiæ & pécora Dómino : benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Iſraël Dóminum : laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite ſacerdótes Dómini Dómino : benedícite ſervi Dómini Dómino.

Benedícite ſpíritus & ánimæ juſtórum Dómino : benedícite ſancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite Anánia, Azária, Míſael Dómino : laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu : laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli : & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.



Ant. Bene dí ci te Dóminum omnes e lé cti ejus,



á gi te dies læ tí ti æ, & confi té mini illi.

Poſteà Sacerdos dicat Kyrie eléyſon. Chriſte eléyſon. Kyrie eléyſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti.

℟. Et confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens ſempitérne Deus, ſanctæ puritátis amátor, qui ánimam hujus párvuli (*párvulæ*) misericórditer ad regnum cælórum vocáre dignátus es: Te ſúpplices deprecámur, ut nos in eódem regno cum Sanctis & eléctis tuis fácias congaudére. Per Dóminum noſtrum, &c.

Poſtea dicat Sacerdos pro omnibus fidelibus defunctis,

Animæ ómnium fidélium defunctórum per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Si Miſſa dicenda eſt in die depoſitionis parvuli baptizati, quia non celebratur in remiſſionem peccatorum ipſius, ſed ad gratiarum actionem, dici poterit vel Miſſa de ſanctiſſima Trinitate, vel Miſſa de Angelis ſine Credo, loco Miſſæ pro defunctis, quæ Miſſa vulgò celebratur poſt ſepulturam.



DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. *Vamvis Parochus Sacramenti Ordinis miniſter non ſit, ſed Epiſcopus, ad eum tamen ſpectat, 1° fidelibus ſibi commiſſis aliquam hujus Sacramenti doctrinam explicare: 2° pueros bonæ indolis aptitudinem tum animi, tum corporis ad ſtatum eccleſiaſticum habentes, & ad illum aſpirantes præparare: 3° promovendos canonica quæ ſint impedimenta edocere, aut ſaltem eos monere, ut hæc prævideant: 4° eorum vitam,*

mores, & ad virtutem aut vitia propensiones inspicere, necnon ad usum frequentem Sacramentorum, ut de his D. Episcopo sufficiens & certum testimonium exhibere valeat.

2. *Doceat igitur populum, Ordinem esse Sacramentum à Christo Domino institutum, cujus Minister est Episcopus, ex quo quilibet Christianus ritè & canonicè assumptus, caracterem & potestatem accipit ad exercendas sacras functiones tum circa corpus Christi verum, tum circa mysticum.*

3. *Ideò sciat quilibet ad hunc statum aspirans, nihil sibi esse periculosius, & Ecclesiæ Dei perniciosius, quàm si se in hunc statum non vocatus intrudat.* Necesse *enim est, ut vocetur à Deo tanquam Aaron, suamque vocationem præcipuè per sanctitatem vitæ, dispositiones corporis & animæ ad hunc statum, affectum ad sacras functiones, & reverentiam circa eas, resque ecclesiasticas & divinas agnoscat, & præsertim ubi pius, prudens & doctus Confessarius ita judicaverit, & D. Episcopus probaverit.*

4. *Qui ad primam Tonsuram aspirant, sint ex legitimo matrimonio procreati, ætate saltem quatuordecim annorum provecti, nullo canonico impedimento irretiti, literis testimonialibus sufficienter muniti, sciant legere, sciant præcipua canonica impedimenta, & doctrinam Christianam probè calleant. Tribus verò saltem mensibus priusquam initientur, nomen suum D. Episcopo, aut ejus Vicario Generali dent, ut per illud temporis spatium ipse D. Episcopus per se aut per alios eorum vitam, dispositionem corporis & animæ, vocationemque probare possit.*

5. *Qui minoribus ordinibus insigniri volunt, sciant se non esse admittendos, nisi priùs omnes scholas Humanitatis, Rhetoricamque absolverint, ita ut linguam Latinam calleant, sintque apti ad Philosophica studia, habeantque sufficientes literas testimoniales, tum à Magistris, tum à suis Parochis.*

6. *Speret nullus se ad Subdiaconatus ordinem promovendum esse, nisi prius Philosophiam absolverit, Theologiæ studere incœperit, annum ætatis vigesimum secundum inchoatè attigerit, titulum sufficientem sive beneficii, sive patrimonii in forma per leges Regias, & statuta Diœcesis præscriptâ habuerit, propositumque per misericordiam Dei servandæ castitatis, & Breviarium quotidie recitandi.*

7. *Ad Diaconatum nemo admitti præsumat, nisi viginti tres inchoatè, & ad Presbyteratum, nisi viginti quinque annos inchoatè attigerit, & utervis Theologiæ sine intermissione studuerit.*

8. *Qui sacris Ordinibus insigniri volunt, sciant se ad interstitia observanda teneri, spatium scilicet unius anni inter quemlibet Ordinem sacrum; neque esse admittendos, nisi sufficientes literas testimoniales habeant, quibus compertum sit, eos functiones Ordinum exercuisse, habitum Clericalem gestasse, Officio Divino Parochiali interfuisse, vitam suo statui conformem duxisse, doctrinam Christianam pueros edocuisse, & ter inter Missarum solennia publicatum esse, eosdem proximâ & futurâ ordinatione ad sacrum Ordinem suscipiendum destinari.*

Sciant omnes, qui ad Ordines tum minores, tum majores aspirant, se non esse promovendos, nisi tempus in Seminario per statuta D. Episcopi præscriptum absolverint, examini diebus præfixis sese obtulerint, & decem dies in eodem Seminario exercitiis ad ordinationem proximè præparatoriis interfuerint.

(**************************************)

DE ORDINUM IMPEDIMENTIS.

QUI sacris sive non sacris Ordinibus, vel etiam primâ tonsurâ initiari volunt, ea sciant impedimenta, easque irregularitates, quibus aut ad Ordines promotio, aut Ordinum functiones prohibeantur: ideò præcipua impedimenta hîc recensere meritò visum fuit.

1. *Qui ætatem cuilibet Ordini à Canonibus præscriptam nondum attigerunt.*
2. *Non confirmati.*
3. *Neophyti, seu ad Christianam Religionem recens conversi.*
4. *Advenæ & ignoti.*
5. *Mancipia.*
6. *Illegitimi.*
7. *Bigami.*
8. *Morbo caduco laborantes.*
9. *Usu rationis carentes, amentes, & furiosi.*
10. *Energumeni, seu à malignis spiritibus vexati, fœminæ, & hermaphroditi.*
11. *Membris capti, vel notabiliter deformes.*
12. *Homicidæ, vel qui mutilaverunt.*
13. *Qui bello vel pugnæ interfuerunt, unde secuta est mors, vel mutilatio hominis.*
14. *Qui in foro sæculari sententiam sanguinis tulerunt, aut qui causæ sanguinis cooperati sunt, si mors inde vel mutilatio subsecuta fuerit.*
15. *Infames ac criminosi, ut sunt impudici, usurarii, simoniaci, publici, aut de perjurio convicti, latrones, mimi & histriones, & alii id genus.*
16. *Hæretici, schismatici, & apostatæ.*
17. *Qui supposito alio nomine, aut alio quovis modo fraudulenter ordinati sunt, aut sine literis dimissoriis, aut per saltum promoti sunt.*
18. *Qui non habent titulum legitimum.*
19. *Ad rationes reddendas adstricti.*
20. *Illiterati.*
21. *Solenniter pœnitentes.*
22. *Denique excommunicati, suspensi, interdicti, & quovis modo irregulares.*

DE SACRAMENTO MATRIMONII.



Atrimonium ab initio mundi à Deo institutum est, sed à Christo Domino ad dignitatem Sacramenti in evangelica lege est evectum. Est igitur sacramentum divinitùs institutum, quo vir & mulier legitimè contrahentes, individuam vitæ societatem ineunt, gratiáque divinâ donantur, tum ut proles honestè & christianè suscipiatur, ac educetur, tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur.

Ea omnia de hoc sacramento teneat Parochus, *tum quæ populum edocere tenetur, tum quæ ad illud ritè & validè administrandum necessaria sunt : ideò sæpè legat & perlegat quæ sequuntur. Sciat in primis, quæ sunt illius sacramenti impedimenta tum dirimentia, tum impedientia : qui sunt ad matrimonium admittendi : qui ad sponsalia & quomodo, & quando admittendi : qui, quomodo, & quando publicè denunciandi sunt : quid demum in celebratione observandum sit.*

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM dirimentibus.

1. *Error circa personam, ubi quis v. g. intendit contrahere cum Maria, & loco illius supponitur Magdalena.*

2. *Conditio, cùm quis conditionis liberæ cum mancipio contrahit, & nesciebat esse mancipium, seu servum.*

3. *Votum castitatis solenniter in professione* Religionis *à Sede Apostolica approbatæ emissum ; cui addendum est votum simplex* Religionis *in Societate Jesu post biennium novitiatûs emissum, ut habetur in bulla Gregorii* XIII. *quæ incipit* Ascendente.

4. *Cognatio,*

4. *Cognatio, quæ triplex est, scilicet* { 1. *naturalis.* 2. *spiritualis.* 3. *legalis.*

Cognatio naturalis, quæ consanguinitas nominatur, ea est, quæ ex naturali generatione licitâ vel illicitâ oritur. In recta linea nunquam licet, nec valet matrimonium, ad quemcunque gradum cognatio extendatur. In collaterali verò linea quatuor sunt gradus inclusivè, in quibus matrimonium contrahere non licet sine dispensatione, & sine illa contractum, irritum ac nullum est.

Spiritualis cognatio ea est, quæ contrahitur in susceptione Baptismi, aut Confirmationis, & est duplex: prima, inter baptizantem ex una parte & baptizatum, & inter baptizantem & patrem & matrem baptizati ex altera: secunda, inter patrinum & matrinam ex una parte & baptizatum, & inter patrinam & matrinam ex altera parte & patrem & matrem baptizati. Idem dicendum est de Confirmatione.

Legalis, quæ raro reperitur in usu, ea est, quæ oritur ex adoptione, & est triplex: prima, inter adoptantem & adoptatum: secunda, inter adoptatum & filios carnales adoptantis: tertia per modum affinitatis inter adoptatum & uxorem adoptantis, & inter adoptantem & uxorem adoptati.

5. *Affinitas. Ea est, quæ nascitur ex carnali copula, ubi scilicet quis cum aliqua copulam habuerit, & è converso, tunc affinitatem cum consanguineis ejus contrahit, quæ matrimonium impedit ac dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, si ex copula licita, & usque ad secundum inclusivè, si ex copula illicita.*

6. *Crimen, quod impedit matrimonium, triplex est: primum est, quando vir & fœmina simul machinantur mortem alterutrius conjugis, ut simul contrahant matrimonium, modò inde secuta sit mors: secundum est, ubi quis committit adulterium cum aliqua, & ut possit cum ea contrahere, interficit conjugem suam; & è converso: tertium est, ubi quis committit adulterium cum aliqua, cum mutua promissione*

simul contrahendi post mortem conjugis; & è converso.

7. *Cultus disparitas. Est illa, quæ reperitur inter baptizatum & non baptizatam; & è converso.*

8. *Vis. Est gravis metus, veluti mortis, carceris, infamiæ, aut alterius gravis pœnæ, injustè incussus.*

9. *Ordo. Est quando quis initiatus est sacris, seu majoribus Ordinibus.*

10. *Ligamen. Impedimentum est, quo quis validè contraxit matrimonium; vivente uxore non potest contrahere cum alia; & è converso.*

11. *Publica honestas. Est impedimentum, quod procedit ex mutuis promissis de futuro matrimonio, vel etiam de præsenti non consummato. Si promissa fuerint de futuro, impedimentum non excedit primum gradum; si de præsenti non consummato, extenditur usque ad quartum: ita ut si Joannes & Maria sibi promiserunt de futuro, Joannes non potest cum Magdalena sorore Mariæ contrahere; & è converso. Si Joannes contraxit validè per verba de præsenti cum Maria, & non consummavit, non potest dissoluto matrimonio, sive per mortem Mariæ, sive per ingressum ejus in Religionem, contrahere cum consanguineis ejus usque ad quartum gradum inclusivè; & è converso.*

12. *Impotentia. Est perpetua consummandi matrimonium inhabilitas, sive ex parte viri se teneat, sive ex parte mulieris, quacunque ex causa oriatur; modò tamen illa sit tempore contractus, & non illum fuerit subsecuta.*

13. *Raptus. Est impedimentum dirimens, quandiu pars rapta manet in potestate partis rapientis.*

14. *Clandestinum matrimonium. Est defectus præsentiæ Parochi, vel alterius de ejus licentia Sacerdotis, & duorum vel trium testium, juxta Concilii Trid. decretum, sess. 24. de refor. cujus hæc sunt verba:* Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus

testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit. *Videat tamen Parochus, ut sedulò observet Regias sanctiones, quæ quatuor testium præsentiam requirunt, ut habetur titulo 20. art. 9.*

Insuper noverit Parochus, virum ante decimum quartum annum completum, fœminam verò ante duodecimum etiam completum, matrimonio non esse conjungendos.

Caveat etiam, ne filiosfamilias sine parentum consensu ad matrimonium admittat, præsertim ubi vir trigesimum annum non attigerit, & fœmina vigesimum quintum; nisi priùs ab ipsis petierint, & super denegatum consensum à judice Ecclesiastico ulterius procedendum esse ad matrimonium sancitum fuerit.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS Matrimonium, & non dirimentibus.

QUamvis hæc impedimenta matrimonium contractum nunquam dirimant, illud tamen illicitum reddunt; & qui ita contrahit, peccat. Ideò ea noverit Parochus, eaque aliquoties in anno populum edoceat. Præcipua sunt:

1. Votum simplex castitatis, non nubendi, & Religionis.

2. Sponsalia cum alio validè contracta, & non dissoluta.

3. Tempus vetitum, scilicet à Dominica prima Adventus usque ad festum Epiphaniæ inclusivè: & à feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ pariter inclusivè.

DE IIS, QUÆ DILIGENTI STUDIO ERGA contrahentes ſcrutari debet Parochus, priuſquam eos ad Sponſalia admittat.

1. *INquirat Parochus, an contrahentes ſint Catholici, an Chriſtianam vitam degant, an myſteria ad ſalutem neceſſaria, præcepta Decalogi & Eccleſiæ, Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum ſint ſufficienter edocti. Alioquin eos non admittat, donec per ſe, aut per alium hæc eos edocuerit.*

2. *Si eos non noverit, inquirat, an ambo ſint Parochiani; & de hoc non leviter eorum verbis fidem adhibeat, ſed aliunde ſufficiens teſtimonium habeat. Si ex Parochia non ſint oriundi, inquirat ab iis, & ab aliis, à quo tempore habitent in ſua Parochia, ut videat utrum ſufficiens domicilium acquiſierint. Si agnoſcat eos eſſe vagos, aut peregrinos, eos remittat ad D. Epiſcopum, aut ipſe ad eum recurrat.*

3. *Inquirat, an inter eos ſit aliquod impedimentum dirimens, aut impediens, an ætatem ſufficientem habeant; & ſi ſint filiiſfamilias, an parentum, tutorum, vel eorum à quibus dependent, conſenſum obtinuerint, aliàs eos non admittet; nec facile eorum verbis fidem habeat, ſed iſtum conſenſum aut habeat ab ore ipſorum parentum, tutorumve, aut ſcripto, aut per legitimum procuratorem.*

4. *An ſponte contrahant, & an aliquo malò motivo ad ſimul contrahendum ſint inducti.*

5. *An aliàs matrimonio juncti fuerint: quod ſi alteruter aut ambo matrimonio juncti fuerint, inquirat de morte conjugis, & videat, an de ea ſufficientes literas teſtimoniales habeant. Sufficientes autem non ſunt, niſi ſint aut à Parocho partis defunctæ, vel ejus Vicario ſignatæ, ſi in hac Diœceſi habitabat pars defuncta: ſi verò habitabat in alia*

Diœcesi, tunc necesse est, ut illæ literæ aut à Vicario Generali loci, vel ab Officiali, aut à Judice Regio, vel alia persona publica approbentur, sigilloque Diœcesis vel regio muniantur, alioquin fides non illis habeatur.

DE SPONSALIBUS PER VERBA DE FUTURO.

1. *SPonsalia sunt mutua de futuro matrimonio promissio inter personas ad contrahendum habiles & idoneas, sufficientibus verbis aut signis declarata.*

2. *Non licet sponsalia de futuro, nisi in Ecclesia Parochiali, in præsentia alterutrius contrahentium, Parochi, & diurno non nocturno tempore celebrare.*

3. *Sponsalia non celebrabuntur, antequam denunciationes in Ecclesia fiant.*

4. *Caveat Parochus, ne in Sponsalium celebratione quid aut inhonestum, aut superstitiosum, aut ludicrum, aut quod dedeceat, patiatur; & curet ut, quantum fieri potest, mane & non vespere celebrentur.*

5. *Completâ sponsalium ceremoniâ, futuros sponsos gravi & brevi sermone admonebit Parochus, ut castè & modestè se gerant, in eadem domo non habitent, se ad matrimonium per preces & peccatorum confessionem, aliaque pia opera præparent, & triduo aut biduo ante celebrationem, non ipso die celebrationis, divinâ Eucharistiâ se muniant.*

DE DENUNCIATIONIBUS, SEU BANNIS publicandis.

1. *CUm denunciationes, seu bannorum publicationes, ad detegenda matrimonii impedimenta, si quæ reperiantur, sancitæ sint, hæc quæ sequuntur diligenter observet Parochus.*

2. Antequam matrimonium contrahatur, à contrahentium Parocho per tres dies Dominicos aut Festivos, in Missarum solenniis publicè inter quos contrahendum sit matrimonium denuncietur.

3. Nullam ex his tribus denunciationibus licet Parocho omittere; nisi ex dispensatione D. Episcopi, per se aut per ejus Vicarium Generalem, seu Officialem: & ubi futuri sponsi illi declararunt, se velle obtinere dispensationem à duabus ultimis publicationibus, hoc declaret Parochus in prima sua & unica publicatione; si ab ultima tantùm publicatione, illud pariter declaret in secunda publicatione: ita ut qui se opponere velint, sciant nullum posteà oppositionis tempus sibi superesse.

4. Non audeat Parochus has denunciationes aut extra dies Dominicos & Festivos, aut extra Missarum solennia publicare.

5. Tres illas denunciationes nec licet per tres dies Festivos immediatè subsequentes publicare, nec intra minus spatium quàm octo dierum absolvere.

6. Videat Parochus, ne ultimo denunciationum die matrimonium celebret.

7. Ubi contrahentes Parocho se velle bannorum dispensationem obtinere declararunt, & ita publicavit Parochus, tunc literas testimoniales eodem die publicationis nunquam ipsis expediat.

8. Publicationes semper fieri debent in Parochia, vel Parochiis, ubi contrahentes habent domicilium sufficienter acquisitum. Domicilium autem in urbibus post tres habitationis menses, extra urbes verò post sex, animo manendi, & non defraudandi, sufficienter acquisitum censetur. Quòd si per dictum tempus in Parochia aut Parochiis ubi manent, non habitaverint, aut alteruter, tunc in utraque Parochia denunciationes fiant, scilicet in Parochia, in qua domicilium sufficiens nondum acquisierint, & in Parochia, in qua proximè habitaverint: quòd si in neutra Parochia domicilium sufficiens acquisierint, tunc de-

nunciationes fiant tum in utraque Parochia, tum in loco originis.

9. *Si uterque contrahens, aut alteruter non sit sufficienter cognitus, aut sit dubitandi locus, aut fraudis metus, non solùm denunciationes fiant in loco, ubi per tres aut sex menses domicilium acquisierint, sed & in loco originis, & prioris domicilii.*

10. *Si vir & mulier diversæ sint Parochiæ, in utraque Parochia denunciationes fiant, & literas testimoniales à Parocho, in cujus Parochia contrahere nolunt, obtineant, ut eas alteri Parocho, in cujus Parochia contrahere volunt, exhibeant.*

11. *Ubi contrahentes, aut alter eorum duplex domicilium æquale aut ferè æquale habent, tunc in utroque domicilio denunciationes fiant. Quòd si incœptum domicilium postea semel aut multoties interruptum fuerit, tunc publicentur banna tum in loco originis, tum in loco, ubi tunc habitant, tum in loco, ubi plus manserint à sex mensibus. Idem sentiendum est de advenis, & de iis, de quibus aliqua subsit de eorum ad contrahendum habilitate justa dubitatio.*

12. *Advertat quoque Parochus, ut in publicandis denunciationibus distinctè pronunciet nomen & cognomen utriusque contrahentis, nomen patris & matris utriusque, nomen conjugis mortui, si sint vidui, aut eorum alter, nomen Parochiæ, domicilii eorum, eorum denique qualitatem, aut artem & professionem. Declaret tandem esse primam, secundam, aut tertiam denunciationem.*

13. *Si post trinam bannorum publicationem, matrimonium ultra tres menses differatur, unica iteretur publicatio; si ultra sex menses differatur, tres iterentur publicationes.*

14. *Ubi quis se dictis denunciationibus, aut perfectioni matrimonii opposuerit, tunc Parochus ultro non procedet, donec se opponens agnitâ suæ oppositionis nullitate destiterit, aut causa oppositionis à Judice Ecclesiastico dijudicata fuerit.*

15. *Dum aliquis se opponit, videat Parochus, an legitimam habeat*

oppositionis causam, & curet semper, ut se opponens, oppositionem suam chirographo signet, aut saltem declaret coram testibus: quòd si nolit signare, aut coram testibus declarare, sed tantùm privatim impedimentum quod novit declarare, ut conscientiam exoneret, tunc consulatur D. Episcopus, & prout responderit, procedat Parochus.

16. *Cùm Parochus contrahentibus literas publicationis bannorum expedit, diligenter exprimat, an sit oppositio, an non. Quòd si contrahentes velle ultimæ publicationis, aut duarum ultimarum dispensationem obtinere publicaverit, hoc quoque exprimat, & literas testimoniales publicationis nunquam ipsis contrahentibus die ultimæ publicationis, sed postero die expediat.*

OBSERVANDA IN CELEBRATIONE Matrimonii.

1. N*Overit Parochus, matrimonium neque domi, neque in loco profano, neque in Oratoriis, sed in Ecclesia Parochiali alterutrius contrahentis esse celebrandum.*

2. *Advertat quoque, illud sacramentum non post meridiem, non noctu, sed mane, scilicet post sextam horam matutinam in hyeme, & post quartam in æstate, & semper in celebratione Missæ, esse ministrandum.*

3. *Cùm utriusque contrahentis consensus necessariò requiratur, diligenter advertat Parochus, an uterque suum de præsenti matrimonio consensum per verba intelligibilia exprimat, ita ut de utriusque consensu nulla dubitatio suboriri possit. Quòd si uterque, aut alteruter contrahens sit mutus, ab iis eliciat signa, vel nutus, vel scripta, quibus certo sciat, eos consensum suum in matrimonium de præsenti exprimere.*

4. *Quamvis Hæresis non sit impedimentum dirimens, non tamen licet Parocho Hæreticam cum Catholico, nec Hæreticum cum Catholica ad matrimonium admittere.*

5. *Matrimonio nullos conjungat Parochus, nisi quos doctrinæ Christianæ rudimenta tenere, & sese sacramentali peccatorum confessione disposuisse cognoverit.*

6. *Si ex justa causa Parochus alteri Sacerdoti facultatem celebrandi matrimonium extra Parochiam suam concesserit, eam scripto concedat, alioquin hanc facultatem nullus acceptet Sacerdos. Et Sacerdos, cui ista concessa est facultas, matrimonium in sua Ecclesia Parochiali, aut in alia Ecclesia Parochiali, de consensu illius Parochi, celebret; & in registro de ista facultate mentionem faciat, scriptumque licentiam sibi concessam continens pro sua securitate retineat. Optimum est, ut Parochus dans talem facultatem, curet, ut extractum è registro Parochiæ, in qua celebratum est matrimonium, obtineat, & in registro suo illud inserat, ut ii, quorum interesse poterit, ad illud recurrant.*

7. *Caveat Parochus, ne in casu dubio matrimonium celebret, quacunque ex causa dubium oriatur, sed ad D. Episcopum, verum dubiorum arbitrum, aut ejus Vicarium Generalem recurrat, vel contrahentes ad eos remittat: neque verò in rebus spiritualibus ad matrimonii sacramentum spectantibus ulli sententiæ pareat, quàm Judicis Ecclesiastici.*

8. *Meritò consultum est contrahentibus & Parocho, ut non in diem celebrationis matrimonii confessio sacramentalis differatur; ut si fortè aliquod impedimentum in confessione detegatur, tempus consulendi supersit, & vitentur murmur & scandalum, quæ oriri possent, si contrahentes, aut alter eorum post confessionem aut nollet contrahere, aut contra conscientiam contraheret, aut coram parentibus & amicis se non posse contrahere declararet.*

9. Inter Missæ nuptialis solennia, velum super sponsos ante altare genuflexos imponatur: si tamen uxor aut vidua fuerit, aut cum aliquo notoriè fornicata, tunc velum non est illi impertiendum.

10. Si quam contrahentes ante matrimonium prolem susceperint, eamque ut suam agnoscant, & legitimam haberi velint, eam Parochus sub velum admittere poterit, aut saltem curare, ut benedictioni nuptiali intersit: de quibus omnibus registrum suum muniat. Quòd si proles ante matrimonium aut à non solutis suscepta fuerit, aut per utriusque adulterium, aut per incestum, aut per utriusque vel alterutrius machinationem mortis prioris conjugis, tunc Parochus consulat D. Episcopum.

11. Parochus habeat librum, seu registrum matrimoniorum sub cera semper custodiendum, in quo nomina & cognomina, qualitatem, artem aut professionem, Parochiam seu domicilium conjugum, nomina quoque parentum ex utraque parte, & quatuor testium diligenter referat. Exprimat quoque, an conjuges sint filiifamilias, an sint sub tutela, an testes sint consanguinei, aut affines, & in quo gradu. Tandem in suo registro inserat, quo die, quo mense, quo anno, & quo loco contractum fuerit matrimonium, subsignetque cum ipsis conjugibus, parentibus, seu tutoribus, & testibus.

12. Insuper in prædictum registrum referat, an, ubi, & quot denunciationes factæ fuerint, & an aliqua facta fuerit dispensatio aut bannorum, aut alicujus gradus, sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive cognationis spiritualis, sive alterius cujusvis, & à quo fuerit obtenta. Exprimat quoque bannorum attestationes, datasque earum, si quæ factæ sunt in alia Parochia. Denique si Parochus alteri Sacerdoti facultatem celebrandi matrimonium concesserit, hoc exprimat in suo registro, & cum eo, cui dedit facultatem, & cum aliis supradictis signet, tanquam ipse celebrasset. Et hæc omnia secundum formulam in fine hujus Libri præscriptam.

****

MODUS CELEBRANDI SPONSALIA per verba de futuro.

QUi ſponſalia ſunt contracturi per verba de futuro, in Eccleſia Parochiali coram Parocho ſuperpelliceo & ſtolâ candidâ induto compareant. Tunc ipſe Parochus, aſſiſtente Miniſtro cum aqua benedicta & aſperſorio, virum ad ſiniſtram ſuam, & fœminam ad dexteram poſitos (prout prudentia ſuggeſſerit) breviter edoceat, quid ſint ſponſuri, quid ſit matrimonium, quæ ejus dignitas, gratia, &c. Deinde illos ſine ullo honoris titulo interrogabit, prout ſequitur.

S. Vous jurez & promettez à Dieu l'un & l'autre, que vous direz verité ſur ce que je vay vous demander ?

Reſpondeat uterque, Ouy, Monſieur, je le jure, & le promets.

Si fortè contrahentes Parochus non priùs examinarit, & non agnoverit, tunc interroget, an ſint Catholici, & an ſint Parochiani ſui, & curet, ut ambo reſpondeant in iis, ubi ſimul reſpondere debent, & dicant Ouy, *aut* Non.

S. Ne reconnoiſſez-vous point en vous quelque empêchement au Mariage, que vous pretendez faire ?

Si Parocho priùs de conſenſu parentum, aut aliorum à quibus contrahentes dependent, non conſtiterit, tunc hic eos interroget, an obtinuerint.

S. N'avez-vous point promis Mariage à autre ?

S. N'avez-vous point fait vœu de Religion, ou de chaſteté, ou de ne vous point marier ?

S. N'eſtes-vous point parens ou alliés de quelque parenté ou alliance que ce ſoit ?

S. N'avez-vous point esté contraints par force, crainte, ou autorité de quelque personne, de vous promettre l'un à l'autre le mariage ?

Si ad singulas interrogationes uterque responderit nullum esse impedimentum, tunc alternatim utrumque interrogabit, nominando primò virum.

N. N. promettez-vous devant Dieu, & en face de sa Sainte Eglise, que vous prendrez pour votre femme & legitime épouse N. N. icy presente, lors que vous en serez requis, si l'Eglise le permet, & qu'il ne se trouve aucun empêchement legitime ?

Ouy, je le promets.

Tum nominando mulierem,

N. N. promettez-vous devant Dieu, & en face de sa Sainte Eglise, que vous prendrez pour votre mary & legitime époux N. N. icy present, lors que par luy vous en serez requise, si l'Eglise le permet, & qu'il ne se trouve aucun empêchement legitime ?

Ouy, je le promets.

Ubi ambo mutuam suam dederint sponsionem, dicat Parochus,

Et ego affído vos in nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen.

Postea eos aspergat aquâ benedictâ, deinde eos exhortabitur paucis & gravibus verbis, prout prudenter judicaverit, monebitque, ut castè inter se conversentur, separatim habitent, & se se per preces & sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ susceptionem præparent. Poterit uti formula in fine posita.

ORDO CELEBRANDI SACRAMENTUM Matrimonii.

COmpletâ ſponſalium per verba de futuro ceremoniâ, completiſque tribus denunciationibus ſecundum formam in fine poſitam, tunc Parochus ſuperpelliceo, aut albâ (ſi ſit celebraturus) & ſtolâ indutus ad celebrationem matrimonii, aſſiſtente ut ſupra Miniſtro, procedet: & iterum ac ultimò ad denunciationem ſic perget, habens ante ſe virum ad ſiniſtram, & mulierem ad dexteram, in navi Eccleſiæ, ante imaginem Crucifixi cum parentibus, teſtibus, & aliis ſtantes, dicet:

NOus vous déclarons pour la derniére fois, & vous certifions, que nous avons publié les promeſſes du futur mariage d'entre N. N. & N. N. icy preſens, & vous commandons de l'autorité de notre Mere la Sainte Egliſe, que ſous peine d'excommunication, vous ayez à déclarer maintenant, ſi vous avez connoiſſance de quelque empêchement, pour quoy le preſent Mariage ne ſe puiſſe accomplir; & deffendons ſous la méme peine d'excommunication, d'y mettre empêchement par malice, & ſans cauſe legitime.

Si aut bannorum, aut temporis, aut impedimenti obtenta fuerit diſpenſatio, eam manu præferendo publicè declarabit. Poſtea Parochus benedicet annulum & nummum ſeu nummos hoc modo.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vóbiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine ánnulum hunc, quem nos in nómine tuo benedícimus, ut quæ éum gestáverit, fidelitátem íntegram suo sponso tenens, in pace & voluntáte tua permáneat, atque in mutua charitáte semper vivat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

OBlátos etiam Dómine, in signum constitútæ dotis, nummos sanctí✠fica, & ut bene sponsa dotétur, cæléstibus ínstrue disciplínis. Per eundem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde annulum & nummum vel nummos asperget aquâ benedictâ, tum contrahentes hortabitur, prout habetur in fine, & prudenter judicaverit.

Finitâ exhortatione, Parochus utrumque de mutuo & præsenti consensu exprimendo, eorum nomen & cognomen sic interrogabit: & primò virum.

N. N. vous jurez devant Dieu, & à la face de son Eglise, que vous prenez N. N. icy presente, pour votre femme & legitime épouse?

Sponsus respondet, Ouy, M.

Vous promettez de luy garder la foy, comme un époux doit à son épouse, selon le commandement de Dieu?

Sponsus respondet, Ouy, M. je le promets.

Deinde Sacerdos sponsam sic interrogabit:

N. N. vous jurez devant Dieu, & à la face de son Eglise, que vous prenez N. N. icy present, pour votre mary & legitime époux?

Sponsa respondet, Ouy, M.

Vous promettez de luy garder la foy, comme une épouse doit à son époux, selon le commandement de Dieu?

Sponsa respondet, Ouy, M. je le promets.

Mutuo igitur sponsi & sponsæ consensu accepto, & clarè intellecto, jubeat eos Parochus jungere dextras, & super eos dicat :

Ego conjúngo vos in Matrimónium, In nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti.

Tum aspergat eos aquâ benedictâ.

Deinde Sacerdos dabit annulum sponsò, qui eum imponit digito annulari sinistræ manus sponsæ, id est ei, qui est minimo proximus, dicens,

Je vous donne cet anneau, en signe du mariage que nous avons contracté.

Postea Sacerdos nummum vel nummos sponso tradet, qui eum vel eos tradendo sponsæ dicet,

Et de cet argent je vous douë.

Quo dicto Sacerdos dicet,

In nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti.

℣. Confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvum fac servum tuum, & ancíllam tuam.
℟. Deus meus sperántes in te.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

Respice Dómine super hos fámulos tuos, ut in tua voluntáte permáneant, in tuo amóre vivant, senéscant, & multiplicéntur in longitúdinem diérum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum sponsus apprehendet dexteram sponsæ, eamque ad altare, in quo celebranda erit Missa nuptialis, deducet, ibique cum ea manebit genuflexus.

His completis celebretur Missa pro sponsis, ut in Missali habetur, nisi Festum duplex, aut dies Dominica occurrat, quia tunc celebrabitur Missa de eodem Festo, vel die Dominica, & fiet tantùm commemoratio Missæ pro sponso & sponsa. Et ubi Sacerdos Orationem Pater noster *absolverit, antequam dicat* Amen. Libera nos quæsumus, &c. *convertat se ad sponsum & sponsam ante altare genuflexos, eosque ubi Clericus velum super eorum caput imposuerit, ut sequitur, benedicat.*

Si tamen uxor fuerit vidua, aut notoriè fornicata, tunc, ut dictum est, nulla fiat benedictio, nec velum imponatur, sed dicitur tantùm Oratio, quæ dici solet post Ite Missa est, *quæ incipit* Deus Abraham, &c. *& non Orationes præcedentes.*

OREMUS.

PRopitiáre Dómine supplicatiónibus nostris, & institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste: ut quod te authore conjúngitur, te auxiliánte servetur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus, qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta fecísti: qui dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem Dei facto, ádeo inseparábile mulíeris adjutórium condidísti, ut fœmíneo córpori de viríli dares carne princípium: docens, quod ex uno placuísset institui, nunquam licére disjúngi. Deus, qui tam excelénti mystério conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi & Ecclésiæ sacraméntum præsignáres in fœdere nuptiárum. Deus, per quem múlier júngitur viro, & socíetas principáliter ordináta, ea bene✠dictióne donátur, quæ sola, nec per origi-

nális peccáti pœnam, nec per dilúvii est abláta senténtiam: Réspice propítius super hanc fámulam tuam, quæ maritáli jungénda consórtio, tua se éxpetit protectióne muníri. Sit in ea jugum dilectiónis & pacis, fidélis & casta nubat in Christo, imitatríxque sanctárum permáneat fœminárum. Sit amábilis ut Rachel viro suo, sápiens ut Rebécca, longæva & fidélis ut Sara. Nihil in ea ex áctibus suis ille author prævaricatiónis usúrpet. Nexa fidei mandatísque permáneat uni thoro juncta: contáctus illícitos fúgiat, muniátque infirmitátem suam róbore disciplínæ. Sit verecúndiâ gravis, pudóre venerábilis, doctrínis cæléstibus erudíta. Sit fœcúnda in sóbole, sit probáta & ínnocens. Et ambo ad beatórum réquiem, atque ad cæléstia regna pervéniant; & vídeant fílios filiórum suórum usque in tértiam & quartam progéniem, & ad optátam pervéniant senectútem. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post hanc benedictionem, amoto velamine, Sacerdos prosequatur Missam more solito.

Dicto Agnus Dei, *& Oratione sequente, Clericus à Sacerdote pacem accipiat, deinde det sponso & sponsæ.*

Dicto Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *pro ratione temporis, Sacerdos antequam populo benedicat, conversus ad sponsum & sponsam dicat,* OREMUS.

DEus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob sit vobíscum: ipse adímpleat benedictiónem suam in vobis, ut videátis fílios filiórum vestrórum usque ad tértiam & quartam generatiónem; & póstea vitam ætérnam habeátis sine fine, adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu Sancto vivit & regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde moneat eos gravi sermone & brevi, ut sibi invicem servent fidem, orationis tempore, ac præsertim jejuniorum & solennitatum casti maneant, & vir uxorem, atque uxor virum diligat, & in timore Dei permaneant, postea eos aspergat aquâ benedictâ, & dicto Placeat tibi sancta Trinitas, *det benedictionem, & legat Evangelium Sancti Joannis,* In principio erat verbum, &c. *ut supra, pag. 17. vel Evangelium Missæ pro sponsis, si de occurrente Dominica, vel Festo duplici Missam celebraverit.*

Peractis omnibus, Parochus, seu ipse, seu alius pro eo matrimonium celebraverit, manu suâ describat in libro matrimoniorum nomina conjugum & testium, locumque & diem contracti matrimonii, ut habetur in superioribus rubricis.

****

BENEDICTIO THALAMI.

Benedictio thalami ad effugandos spiritus immundos, comprimendum libidinis ardorem, & magicas artes arcendas instituta est. Ideo videat Parochus, ut quantâ fieri potest gravitate & pietate administretur. Si tamen prævideat, quid aut irreligiosum accidere, aut ludicrum, aut indecens, & hoc impedire non valeat, eam potius omittat.

Curet, ut hæc ceremonia fiat ante convivium, præsentibus conjugibus, eorumque patre & matre, & paucis aliis.

Vocatus igitur à conjugibus ad benedicendum thalamum Parochus, induat superpelliceum & stolam albam, habeatque Ministrum, qui vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, & ubi ad locum thalami pervenerit, sponsum & sponsam juxta lectum stantes, ipsumque lectum aspergat, dicens,

Aspérges me Dómine hyssópo, & mundábor: lavábis me, & super nivem dealbábor.

OREMUS.

VIsita, quæsumus Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle, Angeli tui sancti hábitent in ea, qui vos in pace custódiant, & benedíctio Dómini sit super vos semper. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Psalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum : qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum, quia manducábis : beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans : in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum : in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo : qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum : pacem super Israel.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, &c.

Kyrie eléyson. Christe eléyson. Kyrie eléyson.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

℞. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum, & ancíllam tuam.

℞. Deus meus sperántes in te.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

BEne✠dic, Dómine, thálamum hunc nuptiálem, unà cum his tuis conjúgibus, ut in tua pace consístant, in

tua voluntáte permáneant, & in tuo amóre vivant, & senéscant, & multiplicéntur in longitúdinem diérum. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

His expletis, eos, prout prudenter judicaverit, gravibus & paucis verbis hortabitur, ut habetur in fine.

(✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻)

DE REMEDIIS SPIRITUALIBUS, AD SOLvenda maleficia, ligaturas, & sortilegia, quibus conjuges in usu Matrimonii impediuntur.

CUm, Deo aut permittente, aut hominum libidinem vindicante; aut eorum virtutem probante, aliquando accidat, ut inter conjuges usus matrimonii impediatur, sive hoc fiat solius dæmonis arte, sive hominis & dæmonis simul: quoquo modo fiat, aut vocetur, hæc observanda sunt.

1. *Si Parochus advertat aliquod esse maleficium (quod vocant ligaturam, aut ligulæ innodationem) inter conjuges, istud maleficium alio maleficio solvi non patiatur, nec conjuges aut ad eos, qui sibi maleficium intulerunt, aut ad alios superstitiosos & maleficos homines recurrere, sed ad Deum solum ejusque Ecclesiam, à quibus tantùm vera remedia consolationemque expectare possunt.*

2. *Ut his maleficiis Parochus præcavere possit, debet tempore opportuno populum suum edocere, hoc maleficiorum genus gravissimum esse peccatum, Deo maximè injuriosum, proximoque nocivum. Debet quoque eos monere, qui ad matrimonium aspirant, ut in fide, spe, & charitate vivant, castè conversentur, & per preces, & frequenti Communionis & Confessionis usu se præparent, & tempore celebrationis matrimonii in Deo confidant, spiritus immundos, eorumque fautores non apprehendant.*

3. *Caveat Parochus, ubi usum matrimonii impediri adverterit, ne conjuges ad matrimonio contracto renunciandum, & consensum mutuum de novo iterandum admittat;* quod enim Deus conjunxit, homo non separet. *Caveat etiam, ne in celebratione matrimonii aliquos ritus adhibeat, aut qui non sunt in usu, aut qui superstitionem redoleant: sed ritibus in hoc Rituali præscriptis se ad literam conformet.*

4. *Ubi igitur Parocho constiterit, usum matrimonii inter conjuges impediri, si agnoscat impedimentum esse naturale, ut aliquando accidit, sive ex mala corporum complexione, sive ex humorum abundantia, sive ex teneriori conjugum, puberum tamen, ætate, sive ex alia quavis simili causa, eos ad sapientem Medicum remittat.*

5. *Caveat Parochus, ne sit nimium curiosus in investigando impedimento usus matrimonii, circumstantiisque ejus & causis perquirendis. Sed ubi agnoverit provenire à maleficio, conjuges inducat,* 1. *ad Deo per preces recurrendum,* 2. *ad quosdam dies jejunii,* 3. *ad Confessionem sacramentalem & Communionem,* 4. *ad aliquam eleemosynam impertiendam.*

6. *His observatis, Parochus diem ipsis conjugibus assignabit, quo cum aliquibus & paucis viris & fœminis à se electis ad Ecclesiam conveniant. Et ubi pro iis Missam de Spiritu Sancto celebraverit, superpelliceo vel albâ cum stolâ violaceâ indutus, assistente Ministro cum aspersorio, ad eos non publicè, sed iis tantùm præsentibus, quos elegerint, accedet, & super eos dicet,*

In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. Amen.

EXtinguátur in vobis omnis virtus diáboli per impositiónem mánuum nostrárum, (*manus imponet super utrumque*) & per invocatiónem sanctæ Trinitátis, & ómnium sanctórum Angelórum, Archangelórum, Prophetárum,

Apoſtolórum, Mártyrum, Confeſſórum, Vírginum, atque ómnium ſimul electórum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Salvum fac ſervum tuum & ancíllam tuam.

℟. Deus meus ſperántes in te.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de ſancto.

℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Nil profíciat inimícus in eis.

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.

℣. Eſto eis Dómine turris fortitúdinis.

℟. A fácie inimíci.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus, qui in paradíſo terréſtri matrimónium inſtituíſti in officium, & póſtmodum cùm pro nobis homo factus es, étiam in ſacraméntum erexíſti, ipſum tuâ præſentiâ miraculórum tuórum primítiis dignánter illúſtrans: Tu per mérita & preces ipsíus beatíſſimæ Vírginis Maríæ Matris tuæ, beáti Vincéntii Confeſſóris tui, & ómnium Sanctórum & Sanctárum tuárum, dignéris hunc fámulum tuum & hanc fámulam tuam, quos ſancto matrimónio conjunxíſti, bene✠dícere, ac plenè liberáre ab omni ligaménto, faſcinaménto, & maleficio Sátanæ, & concédere illis libertátem & grátiam, ut líberè uti poſſint matrimónio ſuo ad concipiéndam, generándam, cum fœcunditáte geſtándam & fovéndam prolem tibi gratam, & homínibus accéptam, In nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Mox ſubjungatur.

JEsus Maríæ fílius, mundi salus & Dóminus, sit vobis clemens & propítius. ℞. Amen.

Deinde tres Psalmi, qui sequuntur, dicentur à Sacerdote.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es: glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: & exaudívit me de monte sancto tuo.

Ego dormívi, & soporátus sum, & exurréxi: quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: & super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi: in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino, suscéptor meus es tu, & refúgium meum: Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium: & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circumdábit te véritas ejus: non timébis à timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, à negótio perambulánte in

ténebris : ab incúrsu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis : ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis : & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exáudiam eum : cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : & osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri, & Fílio : & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 127.

BEati omnes qui timent Dóminum, &c. *totum ut supra,* *pag.* 271.

Kyrie eléyson. Christe eléyson.

Kyrie eléyson. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum

℣. Salvum fac ſervum tuum & ancíllam tuam.
℟. Deus meus ſperántes in te.
℣. Mitte eis Dómine auxílium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Nil profíciat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Eſto eis Dómine turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui úterum beátæ Vírginis Maríæ mirabíliter fœcundáſti, ut de Spíritu Sancto concíperet, portáret, páreret, ac nutríret te verum Deum & hóminem, ſalvatórem noſtrum: implorámus cleméntiam tuam, ut his fámulis tuis, ſubláto omni dæmonis impediménto & malefício, fœcunditátem donáre dignéris, ut generáre, concípere, portáre, párere, ac nutríre prolem tibi gratam váleant in vitam ætérnam. In nómine Patris ✠ & Fílii & Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Et ſubdetur Pſalmus ſequens.

Pſalmus I.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit: & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárum: quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo.

Et fólium ejus non défluet: & ómnia quæcúnque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício: neque peccatóres in consílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto.


Sicut erat in princípio, &c.

Tunc Sacerdos manus imponens super caput primùm viri, deinde mulieris, dicat, adhuc manum tenens super mulierem,

JESUS Maríæ filius, mundi salus & Dóminus, qui beatíssimæ Vírgini matri suæ felícem partum tríbuit, ipse tibi concédat, ut possis in útero portáre, fovére, párere, & felíciter nutríre prolem Deo & homínibus gratam. In nómine Patris ✠ & Fílii & Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde aspergat illos aqua benedicta.

Moneat autem eosdem, prout commodè potuerit, in recta vita ac morum emendatione, & frequenti earumdem aut similium precum iteratione, aliisque pietatis exercitiis devotè perseverare, ut divinam flectere misericordiam possint.





DE BENEDICTIONIBUS
RUBRICÆ GENERALES.



LIÆ sunt benedictiones, quæ ad D. Episcopum, aliæ quæ ad Sacerdotes pertinent; ideo caveat Parochus, ne benedictiones D. Episcopo reservatas sine ejus licentia audeat usurpare: caveat etiam, ne licentiam ab ipso obtentam, sive ad speciem benedicendorum, sive ad numerum, sive ad tempus, sive ad locum, sive ad personas, excedat. Simplex quoque Sacerdos nusquam ad benedicendum, præter conscientiam Parochi, aut Superioris loci, se immisceat.

Noverit Sacerdos sibi vetitum esse, ne aliis, quàm quæ aut in Missali, aut in hoc Rituali continentur, benedictionibus utatur; nec alias res benedicat, quàm quæ præscriptæ sunt; nec quid, quod licitum est, ad pravos aut superstitiosos usus benedicat. Et ubi locus dubitandi est de eorum intentione, qui res benedicendas offerunt, quo animo offerant, aut postulent, diligenter exploret, ut possit æquè meritò iis negare ac concedere.

Curet Parochus, aut alius Sacerdos aliquid benedicturus, ut res benedicenda super mensam mappâ ornatam, quam vocant Credentiam, (si ita ejus fert natura) apponatur, & sit cereus accensus.

Sacerdos igitur, ubi quid est extra Missam benedicturus, induat superpelliceum & stolam, & assistente Ministro vas aquæ cum aspersorio deferente, stans aperto capite, quamlibet benedictionem ab his verbis incipiat, Adjutorium nostrum, &c. *signãdo se manu dextrâ.*

BENEDICTIONES A SACERDOTIBUS FACIENDÆ.

BENEDICTIO AQUÆ DOMINICALIS.



QUAM lustralem seu benedictam ex antiquissima traditione in Ecclesia habemus, ejusque usum nos edocent vetustissimi Patres.

Quamvis usus sit Ecclesiæ, eam singulis diebus Dominicis, Paschæ & Pentecostes exceptis, benedicere, eam tamen aliis diebus, prout necessitas postulat, privatim benedicere nihil vetat.

Lustralis istius aquæ utilitatem pius & antiquus Ecclesiæ usus edocuit; eâ enim usi sunt Sacerdotes, tum in Sacramentorum administratione, tum in Exorcismis, tum in Benedictionibus, & plurimis aliis suis functionibus: eâ pariter usi sunt Clerici & fideles Christiani ad aspergendos ægros, præcipuè agonizantes, aspergendas domos, aspergendos agros, aspergendum aërem, & in primis ad seipsos aspergendos: hæc enim aqua ad effugandos dæmones, eorum nequitias impediendas, delendas veniales noxas, aliosque effectus spirituales & corporales producendos, virtutem continet. Ideo ea consuetudo Christianorum laudanda est, qui aquam benedictam domum deferunt, in Oratoriis & cubiculis custodiunt, ut eâ sæpiùs utantur.

Singulis igitur diebus Dominicis hanc aquam conficiat Parochus, vel alius Sacerdos ab eo deputatus, & de ea aspergat altaria, Clerum, & populum. In Monasteriis verò, & aliis Ecclesiis non Parochialibus, Sacerdos qui præest, poterit eam in sacristia, submissâ voce,

non in Ecclesia, benedicere, & de ea aspergere altare, Monachos vel Moniales, & non populum, ne avertatur ab officio Parochiali, cui interesse tenetur.

Diebus Paschæ & Pentecostes, in quibus nulla fit aquæ benedictio, Sacerdos altaria, Ecclesiam, Clerum & populum de aqua pridie in fontibus baptismalibus benedicta, & ante infusionem Chrismatis extracta, aspergat.

Parochus, ubi ultimus campanarum sonitus dederit, paratis priùs à Clerico sale & aquâ mundâ benedicendâ, albâ seu superpellicco, (si non sit celebraturus) & stolâ coloris diei convenientis indutus, assistentibus Diacono, Subdiacono, & Ministro, ante Processionem, ad cornu Epistolæ majoris altaris, in quo quædam accenduntur lumina, accedat, & aquam extra altare in vase positam, in tono Orationis Missæ cantando, sic benedicat, & signando se manu dextrâ dicat,

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.

Deinde incipiat absolutè exorcismum salis.

EXorcízo te creatúra salis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium, & sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ & córporis: & effúgiat atque discedat à loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia & nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, omnísque spíritus immúndus adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

IMménſam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram ſalis, quam in uſum géneris humáni tribuíſti, bene✠dícere & ſancti✠ficáre tua pietáte dignéris, ut ſit ómnibus ſuméntibus ſalus mentis & córporis, & quicquid ex eo tactum vel reſpérſum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne ſpirituális nequítiæ. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Exorciſmus aquæ, & dicatur abſolute.

EXorcízo te creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, & in nómine Jeſu ✠ Chriſti fílii ejus Dómini noſtri, & in virtúte Spíritus ✠ Sancti, ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem poteſtátem inimíci, & ipſum inimícum eradicáre & explantáre váleas, cum ángelis ſuis apoſtáticis: per virtûtem ejúſdem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus, qui ad ſalútem humáni géneris máxima quæque Sacraménta in aquárum ſubſtántia condidíſti, adéſto propítius invocatiónibus noſtris, & eleménto huic, multímodis purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene✠dictiónis infúnde, ut creatúra tua myſtériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones morbóſque pelléndos, divínæ grátiæ ſumat effétum: ut quicquid in dómibus vel in locis fidélium hæc unda reſpérſerit, cáreat omni immundítia, liberétur à noxa: non illic reſídeat ſpíritus péſtilens, non

aura corrúmpens : discédant omnes insídiæ laténtis inimíci : & si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet, aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat, ut salúbritas per invocatiónem sancti tui nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit, &c. ℟. Amen.

Hîc mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel,

Commíxtio salis & aquæ páriter fiat, In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

ORĒMUS.

DEus invíctæ virtútis auctor, & insuperábilis impérii rex, ac semper magníficus triumphátor, qui advérsæ dominatiónis vires réprimis : qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas : qui hostíles nequítias poténter expúgnas : te, Dómine, treméntes & súpplices deprecámur, ac pétimus, ut hanc creatúram salis & aquæ dignánter aspícias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sancti✠fices, ut ubicúnque fúerit aspérsa, per invocatiónem sancti tui nóminis, omnis infestátio immúndi spíritus abigátur, terrórque venenósi serpéntis procul pellátur, & præséntia Sancti Spíritus nobis misericórdiam tuam poscéntibus ubíque adésse dignétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúsdem, &c. ℟. Amen.

Peractâ benedictione, Sacerdos genibus flexis ter aspergat altare, & quædam altaria, secundum consuetudinem cujuscunque loci, deinde semel se & Ministros, incipiendo Antiphonam Asperges me, *vel* Vidi aquam, *secundùm tempus. Postea, inchoatam Antiphonam prosequente Choro, ipse interim aspergat Clerum & populum, dicendo submissâ voce Psalmum* Miserére mei Deus.

Advertat tamen Parochus, altare non esse aspergendum, in quo reponitur Sanctissimum Sacramentum; sed ubi illud genuflexus adoraverit, surgit, & aspergit ut supra.

Antiphona.





S pér ges me, Dómine, hyssópo, & mundábor: lavábis me, & super nivem dealbábor.

Psalm. Miserére mei Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

℟. Sicut erat in princípio, &c. *Ant.* Aspérges me.

Hæc Antiphona sic cantatur in omnibus Dominicis à Trinitate, usque ad Pascha exclusivè, nisi quòd in Dominicis de Passione & Palmarum omittitur Gloria Patri, *& post versum* Miserere, *immediatè repetitur Antiphona* Asperges me. *A Dominica autem Paschæ usque ad Pentecosten inclusivè cantatur sequens Antiphona.*

I di a quam egrediéntem de templo à latere dextro, allelúia: & omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, & dicent, allelúia, allelúia.

Psalm. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

℣. Glória Patri, & Fílio, &c. ℟. Sicut erat, &c.

Ant. Vidi aquam.

Finitâ

Finita alterutra Antiphona, Sacerdos post aquæ aspersionem ad altare reversus dicat,

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

Tempore Paschali addatur allelúia.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vóbiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

EXáudi nos Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, & míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si aqua benedicta siccetur in vasibus, & nulla alia sit, potest quælibet die alia benedici ut supra, sed submissa voce.

(**************************************)

BENEDICTIO PANIS DOMINICALIS.



Audabilis est consuetudo in Missa Parochiali panem à quolibet Parochiano oblatum benedicendi, ut sit quotidianæ & frequentis primorum sæculorum Ecclesiæ communionis supplementum, & Christianorum communionis in fide & charitate argumentum.

Cavendum tamen est, ne illius distributio sit causa jurgiorum, tumultus, murmuris, & distractionis in populis : nam si hæc impediri non possunt, tunc melius esset tum à benedictione, tum à distributione abstinere.

Cavendum quoque, ne panis iste benedictus aut honoris, vel amici-

tiæ causâ ad Hæreticos deferatur, aut ut cibus communis manducetur, vel cum aliis misceatur, aut quovis modo profanetur, aut cuivis superstitioni inserviat, sed piè & religiosè manducetur, & tractetur. Ideo

Noverint Regulares utriusque sexus, & Sacerdotes curam animarum non habentes, sub pœna in tali casu debita, non licere panem extra Missam Parochialem benedicere & distribuere, quamvis ad hoc aut fundationes, aut confraternitates habeant. Immo sciant nequidem sibi licere, quorumcunque opificum aut aliorum confraternitates erigere, acceptare, eorum fundationes exequi, officia explere, & confratrum directionem suscipere, absque conscientia, auctoritate, & approbatione D. Episcopi.

Sciant denique Parochi hoc sibi munus incumbere, ut si panem benedictum à juvenibus alterutrius sexus certis diebus Festis oblatum, esse occasionem immodestiæ, irreverentiæ, profanationis diei aut loci sacri, ingurgitandi se cibis, aut inebriandi, aut aliorum excessuum; agnoscant, auctoritate D. Episcopi penitus abrogare possint & debeant, nec patiantur panem benedictum cum cantibus profanis, aut saltationibus seu choreis, aut fistulis, vel aliis instrumentis musicis deduci.

Sacerdos igitur panem oblatum benedicens dicet,

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, panis Angelórum, panis vivus & ætérnæ vitæ, bene✠dícere dignáre panem istum, sicut benedixísti quinque panes in desérto: ut omnes ex eo dignè gustántes, inde córporis & ánimæ desiderábilem percípiant sanitátem: qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde asperget eum aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CANDELARUM EXTRA DIEM PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vóbiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, béne✠dic candélas iſtas ſupplicatiónibus noſtris : infúnde eis Dómine per virtútem ſanctæ Crucis ✠ benedictiónem cæléſtem, qui eas ad repelléndas ténebras humáno géneri tribuíſti; talémque benedictiónem ſignáculo ſanctæ Crucis ✠ accípiant, ut quibuſcúnque locis accénſæ ſive póſitæ fúerint, diſcédant príncipes tenebrárum, & contremíſcant, & fúgiant pávidi cum ómnibus miníſtris ſuis ab habitatiónibus illis : nec præſúmant ámplius inquietáre aut moleſtáre ſerviéntes tibi omnipoténti Deo : qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtmodum aſpergantur aquâ benedictâ.

BENEDICTIO LOCI CUJUSCUNQUE.

℣. Adjutôrium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine Deus omnípotens locum istum, (*vel* domum istam) ut sit in eo (*vel* in ea) sánitas, cástitas, victória, virtus, humílitas, bónitas & mansuetúdo, plenitúdo legis, & gratiárum áctio Deo Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto, & hæc benedíctio máneat super hunc locum, & super habitántes in eo nunc & semper. ℟. Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

TE Deum Patrem omnipoténtem supplíciter exorámus pro hac domo, & habitatóribus ejus, ac rebus, ut eam benedícere ✠ & sanctificáre ✠ ac bonis ómnibus ampliáre dignéris: tríbue eis, Dómine, de rore cæli abundántiam, & de pinguédine terræ vitæ substántiam, & desidéria voti eórum ad affféctum tuæ miseratiónis perdúcas. Ad introitum ergo nostrum, benedícere ✠ & sanctificáre ✠ dignéris hanc domum, sicut benedícere dignátus es domum Abraham, Isaac, & Jacob: & intra paríetes domus istíus Angeli tuæ lucis inhábitent, eámque & ejus habitatóres custódiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

PRopitiáre Dómine ſupplicatiónibus noſtris, & bénedic ✠ navem iſtam déxtera tua ſancta, & omnes, qui in ea vehéntur, ſicut dignátus es benedícere arcam Noë ambulántem in dilúvio: pórrige eis Dómine déxteram tuam, ſicut porrexíſti beáto Petro ambulánti ſupra mare: & mitte ſanctum Angelum tuum de cælis, qui líberet & cuſtódiat eam ſemper à perículis univérſis, cum ómnibus quæ in ea erunt: & fámulos tuos repúlſis adverſitátibus, portu ſemper optábili, curſúque tranquíllo tueáris, tranſactíſque ac rectè perféctis negótiis ómnibus, iteráto témpore ad propria cum omni gáudio revocáre dignéris. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Aſpergat navem aquâ benedictâ.

BENEDICTIO COMMUNIS SUPER FRUGES.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

ORámus pietátem tuam, omnípotens Deus, us has primítias creatúræ tuæ, quas áëris & plúviæ temperaménto nutríre dignátus es, benedictiónis tuæ imbre perfúndas, & fructus terræ tuæ usque ad maturitátem perdúcas. Tríbuas quoque pópulo tuo de tuis munéribus tibi semper grátias ágere, ut à fertilitáte terræ esuriéntium ánimas bonis affluéntibus répleas, & egénus & pauper laudent nomen glóriæ tuæ. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Aspergat illas aquâ benedictâ.

BENEDICTIO PEREGRINORUM, ad loca pia prodeuntium.

PEregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, debent accipere patentes seu commendatitias literas à suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, & rebus suis dispositis, factâ peccatorum suorum confessione, & auditâ Missâ, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devotè suscipiant. Expletâ Missâ, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces.

Antiph. In viam pacis.

BEnedíctus Dóminus Deus Israel, &c. *ut supra, pag.* 221. *in fine* Gloria Patri. *Repetitur Antiph.* In viam pacis & prosperitátis dírigat vos omnípotens & miséricors Dóminus, & Angelus Ráphaël comitétur vobíscum in via, ut cum pace, salúte & gaudio revertátis ad própria.

Kyrie eléyson. Christe eléyson.

Kyrie eléyson. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperántes in te.
℣. Mitte eis Dómine auxílium de ſancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Eſto eis Dómine turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Nil profíciat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Benedíctus Dóminus die quotídie.
℟. Próſperum iter fáciat vobis Deus ſalutárium noſtrórum.
℣. Vias tuas Dómine demónſtra nobis.
℟. Et ſémitas tuas édoce nos.
℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ.
℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas.
℣. Erunt prava in dirécta.
℟. Et áſpera in vias planas.
℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te.
℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui fílios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire fecíſti, quique tribus Magis iter ad te ſtella duce pandíſti: tríbue eis, quæſumus, iter próſperum, tempúſque tranquíllum, ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quo pergunt locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum felíciter váleant perveníre.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæorum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut hos fámulos tuos custodíre dignéris. Esto eis Dómine in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut te duce, quo tendunt, próspere pervéniant, & demum incólumes ad própria revertántur.

ADésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris, & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, & beáti Joánnis præcursóris hortaménta sectándo, ad eum, quem prædíxit, secúra pervéniat Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

EXáudi Dómine preces nostras, & iter famulórum tuórum propítius comitáre, atque misericórdiam tuam, sicut ubíque es, ita ubíque largíre, quátenus à cunctis adversitátibus tuâ opitulatióne defénsi, gratiárum tibi réferant actiónem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pax & benedíctio ✠ Dei omnipoténtis Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti, descéndat super vos, & máneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aquâ benedictâ. Quòd si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari. At si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

BENEDICTIO

BENEDICTIO PEREGRINORUM post reditum.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℞. Qui fecit cælum & terram.
Ant. Ecce ſic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Pſalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, &c. *ut ſupra, pag.* 271. Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.
Antiph. Ecce ſic benedicétur homo, qui timet Dóminum.
Kyrie eléyſon. Chriſte eléyſon. Kyrie eléyſon.
Pater noſter. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℞. Sed líbera nos à malo.
℣. Benedícti qui véniunt in nómine Dómini.
℞. Benedícti vos à Dómino, qui fecit cælum & terram.
℣. Réſpice Dómine in ſervos tuos, & in ópera tua.
℞. Et dírige eos in viam mandatórum tuórum.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℞. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℞. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

LArgíre, quæſumus Dómine, fámulis tuis indulgéntiam placátus & pacem, ut páriter ab ómnibus mundéntur offénſis, & ſecúra tibi mente deſérviant.

OMnípotens ſempitérne Deus, noſtrórum témporum vitæque diſpóſitor, fámulis tuis contínuæ tranquillitátis largíre ſubsídium, ut quos incólumes própriis labóribus reddidíſti, tua fácias protectióne ſecúros.

DEus humílium visitátor, qui nos fratérna dilectióne consoláris, præténde societáti nostræ grátiam tuam, ut per eos, in quibus hábitas, tuum nobis sentiámus advéntum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, &c.

Deinde aspergatur aquâ benedictâ à Sacerdote dicente,

Pax & benedíctio ✠ Dei omnipoténtis Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti, descéndat super vos, & máneat semper. ℟. Amen.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine hos novos fructus N. & præsta, ut qui ex eis in tuo sancto nómine vescéntur, córporis & ánimæ salúte potiántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO AD QUODCUNQUE comestibile.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine creatúram istam N. ut sit remédium salutáre géneri humáno: & præsta per invoca-

tiónem ſancti nóminis tui, ut quicúnque ex ea ſúmpſerint, córporis ſanitátem, & ánimæ tutélam percípiant. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO VEXILLI ECCLESIASTICI.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vóbiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, cujus Eccleſia eſt velut caſtrórum ácies ordináta, bénedic hoc vexíllum, ut omnes ſub eo tibi Dómino Deo exercítuum militántes, per interceſſiónem beati N. hujus Eccléſiæ patróni, inimícos ſuos visíbiles & invisíbiles in hoc ſæculo ſuperáre, & poſt victóriam in cælis triumpháre mereántur. Per te Jeſu Chriſte, qui vivis & regnas cum Deo Patre & Spíritu Sancto in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO ROSARIORUM, ſeu Coronarum.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens & miſéricors Deus, qui propter exímiam charitátem tuam, quâ dilexíſti nos, fílium tuum uni-

génitum Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum de cælis in terram deſcéndere, & de beátæ Maríæ Vírginis Dóminæ noſtræ útero ſacratíſſimo, Angelo nunciánte, carnem ſuſcípere, crucémque & mortem ſubíre, & tertia die glorióſè à mórtuis reſúrgere voluíſti, ut nos eríperes de poteſtáte tenebrárum: obſecrámus imménſam cleméntiam tuam, ut hæc ſigna Roſárii in honórem & laudem ejúſdem genitrícis fílii tui bene✠dícas, & ſanctífices, eíſque tantam infúndas virtútem Spíritus Sancti, ut quicúnque ea ſuper ſe portáverint, atque atténtè & devótè recitáverint, per invocatiónem ſancti nóminis tui, córporis ſanitátem, & ánimæ tutélam percípiant. Per eúndem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO HORREI, UT AB EO EXPELLANTUR TINEÆ, ſeu vermiculi, qui frumenta corrodunt.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

Omnípotens ſempitérne Deus, bonórum ómnium auctor & conſervátor, concéde propítius, ut tíneas ſeu vermículos, qui fruménta noſtra corródunt, ſegregándo ſégreges, exterminándo extérmines, ut ab omni calamitáte liberáti, tuam poténtiam & beneficéntiam prædicémus. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

DEus, qui Joseph fámulo tuo, ad aléndum per septem annos sterilitátis pópulum, fruménta in hórreis repónere & conserváre docuísti; pópulum in te credéntem símili favóre proséquere, ut expúlsis ab hórreo tíneis & vermículis, tua benignitáte pópulus tibi sérviens nutriátur, & gratiárum in Ecclésia réferat actiónes. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat horreum aquâ benedictâ.

BENEDICTIO PARVULORUM, QUI NONdum ad annos discretionis pervenerunt.

CUm parvuli, qui aut nondum annos discretionis attigerunt; aut eos attigisse vix dignoscuntur, aut peccatum non commiserunt, aut peccatum ut peccatum non commiserunt, aut confiteri non valent; optimum est, ut à parentibus circa festum Paschæ Sacerdoti offerantur, qui eos genuflexos sic benedicat.

DOmine Jesu Christe, qui dixísti, Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cælórum, super hunc fámulum (*vel* hos párvulos, *vel* has párvulas) grátiam tuæ bene✠dictiónis infúnde; ut & à peccátis præservári mereátur, (*vel* mereántur) & grátia, ætáte, ac sapiéntia profíciens, (*vel* proficiéntes) salútem consequátur (*vel* consequántur) ætérnam. In nómine ✠ Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. ℟. Amen.

DE BENEDICTIONE CAMPANARUM.

UT tollantur abusus, qui sæpè in populis circa usum Campanarum reperiuntur, eos edoceat Parochus, ipsas ad cultum

divinum per ceremoniam Ecclesiæ esse tantùm consecratas; ideò nemini unquam licere ipsis ad usus profanos uti.

Campanas igitur in Ecclesia esse institutas & benedictas, populos suos edoceat Parochus, ut præcipuè per illarum sonitum ad res divinas tantùm populi convocentur, ut sancto Missæ sacrificio, divinis officiis, divini verbi prædicationibus, catechismis, publicis precibus, processionibus & sepulturis adsint populi, tum etiam ut pro agonizantibus preces fundant. Possunt quoque in majoribus Ecclesiæ solennitatibus pulsari, in signum spiritualium gaudiorum.

Laudabilis est etiam Ecclesiarum consuetudo, quæ eas in procellis, turbinibus, fulguribus, & tempestatibus pulsant, aut ut propellantur, aut ut temperentur; earum enim sonitu terrentur spiritus procellæ & tenebrarum, & populi excitantur ad pias preces fundendas, quibus illi maligni spiritus, illorumque hostiles exercitus propulsentur.

Optimum est, ut Parochus, antequam campanam benedicat, populum per harum omnium instructionem præparet, eumque edoceat, ceremoniam benedictionis campanæ non esse baptismum, etiamsi per unctiones celebretur, nomenque alicujus Sancti vel Sanctæ imponatur.

Curet denique, ut supra campanam nihil aut profanum, aut ludicrum, aut irreligiosum inscribatur, vel insculpatur; nec quid superstitiosum in conflagratione, aut in consecratione patiatur; nec illam in campanile seu turrim sustolli, quin priùs consecrata sit.

BENEDICTIO METALLI DECURRENTIS.

Parochus, aut alius ejus nomine Sacerdos, superpelliceo & stola indutus, Cruce & Clero præcedentibus, populoque congregato, processionaliter pergit ad locum, ubi campana conflatur, & ubi metallum decurrere incœperit, hymnum sequentem incipiet.



E ni cre á tor Spí ritus, Mentes tu ó rum ví si ta, Imple su pérna grá ti a, Quæ tu cre á sti péctora.

Qui paraclétus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et spiritális únctio.
Tu septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermóne ditans gúttura.
Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus,
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Te utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paracléto,
Nobísque mittat Fílius
Charísma sãcti Spírit'. Amẽ.

℣. Emitte spíritum tuum & creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ. OREMUS.

ADsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritus Sancti, quæ & corda nostra cleménter expúrget, & ab ómnibus semper tueátur advérsis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ubi verò campana conflata seu completa fuerit, Sacerdos incipiat canticum Te Deum laudamus, *& Clerus ad Ecclesiam revertendo illud prosequatur, & in fine cantatur Antiphona,* Da pacem Domine, &c.

℣. A Dómino factum est istud.

℟. Et est mirábile in óculis nostris.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic, quæsumus Dómine, fusum hoc ad usum Ecclésiæ tuæ metállum, ut ad ea quæ recta sunt, istíus campánæ pulsu pópulus tuus perducátur, & effectum séntiat salutárem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO BENEDICENDI CAMPANAM.

ANtequam ad benedictionem campanæ procedat Parochus, ea omnia, quæ ad hanc ceremoniam necessaria sunt, sedulò parentur.

Et primò campana ita suspendatur, ut intus & extra tangi, tractari, ac circuiri possit, & propè eam sedes pro Parocho paranda est, necnon & sedes ex utraque parte campanæ pro reliquo Clero disponendæ sunt.

Paretur quoque mensa seu credentia, supra quam ponantur vas aquæ benedicendæ, aspersorium ex hyssopo, vel buxo, vel alia simili fronde confecto, vas cum sale, lintea munda ad extergendam campanam, vas oleì infirmorum, vas Chrismatis, thymiama, thus & myrrha, & thuribulum cum igne.

His ita dispositis, Parochus, vel alius de ejus licentia Sacerdos, amictu, alba, cingulo, stola & pluviali albi coloris indutus, è sacristia,

ſtia, præcedentibus Cruce cum Ceroferariis & Clero egreditur, & procedit ad locum.

Et ubi ad campanam pervenerit, ſedet ſuper ſedem ſibi paratam, & manu dextra ſimul cum iis, qui nomen impoſituri ſunt, tangens campanam, ab iis poſtulat, quod nomen huic campanæ velint imponere, dicens,

Au nom de quel Saint (*ou* de quelle Sainte) voulez-vous qu'on beniſſe cette cloche?

℟. De Saint Pierre, de Saint Paul, de Sainte Catherine, *ou autres Saints.*

Deinde Parochus poteſt aliquam brevem, ut ſupra, exhortationem ad populum habere; deinde ſurgit, & benedicit ſal eadem benedictione, quâ in diebus Dominicis.

℣. Adjutórium noſtrum.
Exorcízo te creatúra.
Imménſam cleméntiam tuam.
} *ut ſupra, pag.* 281. *&* 282.

Deinde aquam benedicit hoc modo.

OREMUS.


BEne✠dic Dómine hanc aquam benedictióne cæléſti, & aſsíſtat ſuper eam virtus Spíritus Sancti, ut cùm hoc váſculum ad invitándos fílios Eccléſiæ præparátum, in ea fúerit tinctum, ubicúnque póſtmodum ſonúerit ejus tinnítus, procul recédat virtus inſidiántium, umbra phantáſmatum, incúrſio túrbinum, percúſſio fúlminum, læſio tonítruum, calámitas tempeſtátum, omníſque ſpíritus procellárum: & cùm clangórem illíus audíerint fílii Chriſtianórum, creſcat in eis devotiónis augméntum, ut feſtinántes ad piæ matris Eccléſiæ grémium, cantent ibi cánticum novum in Eccléſia ſanctórum, deferéntes in ſono præcónium tubæ, modulatiónem pſaltérii, exultatiónem órgani, ſua-

vitátem tympani, jucunditátem cymbali: deprecántes Dóminum cæli pro sceléribus, & pro ómnibus necessitátibus suis: quátenus invitáre váleant in templo sancto tuo suis obséquiis & précibus multitúdinem exércitus Angelórum: & intercedéntibus ómnium Sanctórum méritis, impetráre quod popóscerint mereántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Hîc mittat sal in aquam in modum Crucis, dicens submissâ voce,

Commíxtio salis & aquæ páriter fiat, In nómine Patris ✠ & Fílii & Spíritus Sancti.

Tunc Sacerdos postquam incœpit Antiphonam In cymbalis, *sumit prædictum aspersorium, lavat intus & foris totaliter tintinnabulum de supradicta aqua benedicta. Deinde Ministri eam linteo mundo extergunt; & interim à Choro cantantur Psalmi sequentes cum Antiphona.*



Antiph. In cym ba lis. *Psalm.*



ut suprà, pag. 174. & in fine Glória Patri & Fílio, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus: dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: & álligat contritiónes eorum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus: & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: psállite Deo nostro in cythara.

Qui óperit cælum núbibus: & parat terræ plúviam

Qui prodúcit in móntibus fœnum: & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum: & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : nébulam sicut cínerẽ spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea : flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.


Qui annúnciat verbum suum Jacob : justítias & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : & judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Psalmi sequentes.

Laudáte Dóminum de cælis.
Cantáte Dómino cánticum novum.
Laudáte Dóminum in sanctis ejus.
{ *ut supra, pag.* 218. *& seq.*



Ant. In cymbalis benesonántibus laudá te Dñm.

Quibus finitis, Sacerdos pollice dextræ manus faciet Crucem suprà campanam de oleo infirmorum foris tantùm, deinde dicet altâ voce,

OREMUS.

Deus, qui per beátum Móysen legíferum fámulum tuum tubas argénteas fíeri præcepísti, quas dum Levítæ témpore sacrifícii clángerent, sónitu dulcédinis pópulus mónitus ad te adorándum fíeret præparátus ; quarúmque clangóre hortátus ad bellum, tela prostérneret adversántium : præsta quæsumus, ut hoc vásculum sanctæ tuæ Ecclésiæ præparátum, à tuo Sancto Spíritu per nostræ

humilitátis servitútem sancti✠ficétur, ut per íllius tactum & sónitum fidéles inviténtur ad sanctam matrem Ecclésiam, & ad præmium supérnum : & cùm melódia illius áuribus insonúerit populórum, crescat in eis devótio fidei, & amor spirituális ; procul pellántur omnes insídiæ inimíci, fragor grándinum, procélla túrbinum, ímpetus tempestátum : temperéntur inféſta tonítrua, ventórum flámina fiant salúbriter ac moderáte suspénsa : prostérnat aéreas tempestátes déxtera tuæ virtútis, ut hoc audiéntes tintinnábulum, tremíscant & fúgiant ante sanctæ Crucis in eo depíctum vexíllum, cui fléctitur omne genu cæléstium, terréstrium & infernorum. Quod ipse Deus noster Jesus Christus præstáre dignétur, qui absórpta morte per patíbulum Crucis, regnat in glória Dei Patris cum eódem Patre & Spíritu Sancto, Per ómnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Tunc Sacerdos exterget Crucem à se factam linteo mundo, inchoando hanc Antiphonam, quam Chorus prosequetur.



Ant. Vox Dó mini super aquas mul tas, Deus



maje stá tis in tó nu it, Dó minus super a quas



multas. E u o u a e. 8.

Versus sequentes Psalmi 28. cantantur super intonatione octavi Toni.

VOx Dómini in virtúte : vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eos tanquam vítulum Líbani : & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : vox Dómini concutiéntis desértum, & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa : & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : & sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Repetitur Antiphona, Vox Dómini super aquas.

Interim Sacerdos faciet cum pollice dextræ manus, de oleo sancto infirmorum, septem Cruces exterius super campanam, & de intus cum Chrismate quatuor pari distantia, dicens dum quamlibet Crucem faciet,

Consecrétur ✠ & sanctificétur Dómine signum istud, In nómine Patris, & Fílii, & Spíritus Sancti. Amen. in honórem Sancti N. (*vel* Sanctæ N.)

Postea subjungat Orationem sequentem.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, qui ante arcam fœderis per clangórem tubárum muros lapídeos, quibus cingebátur adversántium exércitus, cádere fecísti, tu hoc tin-

tinnábulum cæléſti bene✠dictióne perfúndere, purificáre, ſanctificáre & conſecráre dignéris, ut ante ſónitum ejus effúgiant igníta jácula inimíci, percuſſio fúlminum, ímpetus lápidum, læſio tempeſtátum; ut ad interrogatiónem prophéticam, Quid eſt tibi mare quod fugiſti? ſuis mótibus cum Jordánico retroáctis fluénto reſpóndeant, A fácie Dómini mota eſt terra, à fácie Dei Jacob, qui convértit petram ſólidam in ſtagnum aquæ, & rupem in fontes aquárum. Non ergo nobis Dómine, non nobis, ſed nómini tuo da glóriam ſecúndum miſericórdiam tuam; ut cùm præſens hoc váſculum, ſicut réliqua altáris vaſa, ſacro chríſmate tángitur, & óleo ſacroſáncto úngitur, tua bene✠dictióne ſanctificétur; & quod arte aut metálli ſpécie non poteſt fíeri dignum, fiat tua benedictióne perfúſum: ut quicúnque ad ſónitum ejus convénerint, ab ómnibus inimíci tentatiónibus liberéntur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundéntur in mente, ſempérque Fídei Catholicæ documénta ſecténtur, atque tuæ conſolatiónis grátiam percípere mereántur. Salvátor mundi, cui fléctitur omne genu cæléſtium, terréſtrium & infernórum, qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos ponat in thuribulo ignem, thymiama, thus & myrrham, ſi commodè haberi poſſint, alioqui quæ ex ipſis habebuntur: deinde thuribulum campanæ ſupponat, ut totum fumum recipiat, incipiendo Antiphonam,



Ant. Deus in ſan cto vi a tu a: quis Deus

magnus ſi cut De us noſter. Pſ. Vidérunt te aquæ

Deus, vidérunt te aquæ. E u o u a e. 8.

Verſus ſequentes ex Pſalmo 76.

VIdérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ: & timuérunt: & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitus aquárum: vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt: vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ: commóta eſt & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis: & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum: in manu Móyſi & Aaron.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Repetita Antiphona Deus in ſancto, *dicitur*

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens dominátor Chriſte, quo ſecúndum aſſumptiónem carnis dormiénte in navi, dum obórta tempéſtas mária conturbáſſet, te prótinus excitáto & imperánte diſsíluit: tu neceſſitátibus pópuli tui benígnus ſuccúrre; tu hoc tintinnábulum Spíritus Sancti rore perfúnde, ut ante

ſonitum

ſónitum illíus ſemper fúgiat bonórum inimícus, invitétur ad fidem pópulus Chriſtiánus, hoſtílis terreátur exércitus, confortétur in Dómino per illud pópulus tuus convocátus: atque ſicut ſuper Davídicam cítharam delectátus déſuper deſcéndat Spíritus Sanctus; & ut Samuéle crinígero agnum mactánte in holocáuſtum tibi, Rex ætérni impérii, fragor aurárum turbam répulit adverſántem: ita dum hujus váſculi ſónitus tranſíerit per núbila, Eccléſiæ tuæ convéntum manus conſérvet Angélica, fruges terræ; credéntium méntes & córpora ſalvet protéctio ſempitérna: Per te, Jeſu Chriſte, qui regnas in unitáte ejúſdem Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde accepto batello ter modicè pulſet campanam, idemque facient Patrinus & Matrina: quibus completis, iidem Patrinus & Matrina porrigunt Sacerdoti linteum album, quo hic cum illis involvit campanam, donec in campanile collocetur, propter reverentiam Chriſmatis.

Advertat Parochus, ubi plures ſunt campanæ ſimul benedicendæ, non eſſe multiplicandas preces, ſed quod ſingulare eſt, pluraliter eſſe exprimendum: campanarum verò lotiones & unctiones totupliciter eſſe multiplicandas, quotuplices ſunt campanæ: thuribulum denique cuilibet campanæ alternatim eſſe ſupponendum, ut quælibet fumum recipiat.

Advertat quoque Parochus, ſibi omnes campanas alternatim cum Patrinis eſſe tangendas, & ab iis tangentibus poſtulandum ut ſupra, quale nomen velint imponere: & ubi pervenerit ad hæc verba Conſecretur, &c. *dicat in fine in honorem Sancti, cujus nomen campanæ, quam ungit, impoſitum eſt.*

BENEDICTIONES QUÆ SEQUUNTUR, AB EPISCOPIS FIERI DEBENT, AUT A SACERDOTIBUS eam poteſtatem habentibus.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM indumentorum in genere.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui per Móyſen fámulum tuum Pontificália & Sacerdotália ſeu Levítica veſtiménta ad expléndum in conſpéctu tuo miniſtérium eórum, ad honórem & decórem nóminis tui fíeri decrevíſti: adéſto propítius invocatiónibus noſtris, & hæc induménta Sacerdotália, déſuper irrigánte grátia tua, ingénti benedictióne per noſtræ humilitátis ſervítium purificáre ✠ benedícere ✠ & conſecráre ✠ dignéris; ut divínis cúltibus & ſacris myſtériis apta & benedícta exíſtant: his quoque ſacris véſtibus Pontífices & Sacerdótes ſeu Levítæ tui indúti, ab ómnibus impulſiónibus ſeu tentatiónibus malignórum ſpírituum muníti & defénſi eſſe mereántur; tuíſque myſtériis aptè & condígnè ſervíre & inhærére, atque in iis tibi plácitè & devótè perſeveráre tríbue. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEus invíctæ virtútis triumphátor, & ómnium rerum creátor, ac sanctificátor, inténde propítius ad preces nostras, & hæc induménta Levíticæ, Sacerdotális & Pontificális glóriæ minístris tuis fruénda tuo ore próprio benedícere ✠ sanctificáre ✠ & consecráre ✠ dignéris: omnésque eis uténtes, tuis mystériis aptos, & tibi in eis devótè ac laudabíliter serviéntes, gratos effícere dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

OREMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui vestiménta Pontifícibus, Sacerdótibus & Levítis in usum tabernáculi fœderis necessária, Móysen fámulum tuum fácere jussísti, eúmque spíritu sapiéntiæ ad id peragéndum replevísti, hæc vestiménta in usum & cultum mystérii tui benedícere ✠ sanctificáre ✠ & consecráre ✠ dignéris: atque minístros altáris tui, qui ea indúerint, septifórmis spíritus grátia dignánter repléri, atque castitátis stola, & beáta fácias cum bonórum fructu óperum ministérii congruéntis immortalitáte vestíri. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Deinde aspergat ipsa indumenta aquâ benedictâ.

BENEDICTIO MAPPARUM, SIVE LINTEAminum Altaris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℞. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℞. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

EXáudi Dómine preces noſtras, & hæc linteámina ſacri altáris úſui præparáta benedícere ✠ & ſanctificáre dignéris. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui Móyſen fámulum tuum ornaménta & linteámina fácere per quadragínta dies docuíſti, quæ étiam María téxuit & fecit in uſum miniſtérii & tabernáculi fœderis : benedícere ✠ ſanctificáre ✠ & conſecráre ✠ dignéris hæc linteámina ad tegéndum involvendúmque altáre glorioſíſſimi Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat ea aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CORPORALIUM.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

CLementíſſime Dómine, cujus inenarrábilis eſt virtus, cujus myſtéria arcánis mirabílibus celebrántur : tríbue quæſumus, ut hoc linteámen tuæ propitiatiónis benedictióne ✠ ſanctificétur, ad conſecrándum ſuper illud corpus & ſánguinem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti Fílii tui, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum.
℟. Amen.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, benedícere ✠ sanctificáre ✠ & consecráre ✠ dignéris linteámen istud ad tegéndum involvendúmque corpus & sánguinem Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnípotens Deus, mánibus nostris opem tuæ benedictiónis infúnde, ut per nostram benedictiónem ✠ hoc linteámen sanctificétur, & córporis ac sánguinis Redemptóris nostri novum sudárium Spíritus Sancti grátiâ efficiátur. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO TABERNACULI SEU VASCULI pro Sacrosancta Eucharistia conservanda.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices deprecámur, ut vásculum hoc pro córpore Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi in eo condéndo fabricátum, benedictiónis ✠ tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat illud aquâ benedictâ.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

ROgámus te Dómine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, ut dignéris benedícere ✠ hoc ſignum Crucis, ut ſit remédium ſalutáre géneri humáno, ſit ſolíditas fídei, proféctus bonórum óperum, redémptio animárum, ſit ſolámen & protéctio, ac tutéla contra ſæva jácula inimicórum. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Alia Oratio ad idem.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine hanc Crucem tuam, per quam eripuíſti mundum à dæmonum poteſtáte, & ſuperáſti paſſióne tua ſuggeſtórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis per ligni vétiti ſumptiónem.

Hîc aſpergat aquâ benedictâ.

Sanctificétur hoc ſignum Crucis in nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti, ut orántes, inclinantéſque ſe propter Dóminum ante iſtam Crucem, invéniant córporis & ánimæ ſanitátem. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos genuflexus ante Crucem devotè adorat, & oſculatur, & idem faciunt quicunque voluerint.

BENEDICTIO IMAGINUM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI, B. VIRGINIS MARIÆ, & aliorum Sanctorum.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vóbiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imágines sive effígies sculpi aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis corpóreis intuémur, tóties eórum actus & sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur: hanc, quæsumus, imáginem seu sculptúram in honórem & memóriam unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, *vel* Beatíssimæ Vírginis Maríæ matris Dómini nostri Jesu Christi, *vel* Beáti N. Apóstoli tui, *vel* Mártyris, *vel* Confessóris, *aut* Pontíficis, *aut* Vírginis adaptátam benedícere ✠ & sanctificáre ✠ dignéris: & præsta, ut quicúnque coram illa unigénitum Fílium tuum, *vel* Beatíssimam Vírginem, *vel* gloriósum Apóstolum, *sive* Mártyrem, *sive* Confessórem, *aut* Vírginem supplíciter cólere & honoráre studúerit, illíus méritis & obténtu à te grátiam in præsenti, & ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Ultimò aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CAPSARUM,
ad recondendas & asservandas Sanctorum Reliquias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, te humíliter deprecámur, ut qui Móysi fámulo tuo præcepísti arcam de lignis imputribílibus constrúere, eam auro circumdáre, & in ea manna, quod pópulo tuo olim largítus es, tabuláſque testaménti dígito tuo conscríptas recóndere; intercedénte Sancto N. (*vel* Sancta N.) *vel* intercedéntibus Sanctis N.N.) ad cujus (*vel* ad quorum) Relíquias hæc capsa paráta est (*vel* hæ capsæ parátæ sunt) ipsam (*vel* ipsas) tua cæléſti bene✠dictióne perfúndere dignéris; & concéde, ut Relíquiæ hac (*vel* his) condéndæ, sint contra quóslibet tum córporis, tum ánimæ inimícos refúgium & tutámen. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI
primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, servandus, à Sacerdote facultatem ab Episcopo habente.

E*Cclesiam ex Episcopi auctoritate tantùm, juxta sacrorum Canonum decreta, ædificari fas est. Si verò Sacerdos ejus ædificationis*

ficationis primarium lapidem benedicendi poteſtatem habens, ejuſmodi functionem peragat, hunc ritum ſervabit.

Pridie quàm primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet eſſe altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos. Sequenti verò die lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus & angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis, ſalem & aquam benedicit, niſi priùs in promptu habeat jam benedictam ordinariâ benedictione, ut ſupra pag. 281. & ſeq. & interim dum cantatur à Clericis Antiphona cum Pſalmo ſequenti, aſpergit locum, ubi Crux poſita eſt, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum ſalútis pone Dómine Jeſu Chriſte in loco iſto, & non permíttas introíre Angelum percutiéntem.

Pſalmus 83.

QUam diléćta tabernácula tua Dómine virtútum: concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea: exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua Dómine virtútum: rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua Dómine: in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus eſt auxílium abs te: aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lachrymárum, in loco quem poſuit.

Etenim benedićtiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: vidébitur Deus Deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéćtor noſter áſpice Deus: & réſpice in fáciē Chriſti tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis : super míllia.
Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.
Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus : grátiam & glóriam dabit Dóminus.
Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.
Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.
Finito Psalmo Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit,
OREMUS.
DOmine Deus, qui licet cælo & terra non capiáris; domum tamen dignáris habére in terris, ubi nomen tuum júgiter invocétur; locum hunc, quæsumus, Beátæ Maríæ semper Vírginis, & B. N. (*nominando Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia*) omniúmque Sanctórum intercedéntibus méritis, seréno pietátis tuæ intúitu vísita, & per infusiónem grátiæ tuæ ab omni inquinaménto purífica, purificatúmque consérva; & qui dilécti tui David devotiónem in fílii sui Salomónis ópere complevísti, in hoc ópere desidéria nostra perfícere dignéris; effugiántque omnes hinc nequítiæ spirituáles. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c.
Postea stans benedicat primarium lapidem, dicens,
℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes.
℟. Hic factus est in caput ánguli.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam.

℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

℟. Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, &c.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui es verus omnípotens Deus, ſpléndor & imágo ætérni Patris, & vita ætérna, qui es lapis anguláris de monte ſine mánibus abſcíſſus, & immutábile fundaméntum, hunc lápidem collocándum in tuo nómine confírma; & tu, qui es princípium & finis, in quo princípio Deus Pater ab inítio cuncta creávit, ſis, quæſumus, princípium & increméntum, & conſummátio ipsíus óperis, quod debet ad laudem & glóriam tui nóminis inchoári. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Tunc aſpergit lapidem ipſum aquâ benedictâ, & acceptro cultro, per ſingulas partes ſculpit in eo ſignum Crucis, dicens, In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen. *Quo facto dicit,*

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine creatúram iſtam lápidis, & præſta per invocatiónem ſancti tui nóminis, ut quicúnque ad hanc Eccléſiam ædificándam pura mente auxílium déderint, córporis ſanitátem, & ánimæ medélam percípiant. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea dicantur Litaniæ ordinariæ ſine Orationibus in fine poſitis; quibus dictis, parato cæmento, & cæmentario aſſiſtente, Sacerdos inchoat, Clericis proſequentibus, Antiphonam,

Ant. Mane ſurgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum déſuper, votum vovit Dómino: Verè locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciébam.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum: in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem: frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, fílii merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: non confundétur, cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, &c.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens,

In fide Jesu Christi collocámus lápidem istum primárium in hoc fundaménto, in nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti, ut vígeat vera fides hîc & timor Dei, fraternáque diléctio; & sit hic locus destinátus orationi, & ad invocándum & laudándum nomen ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spíritu Sancto vivit & regnat Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento; postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens, Aspérges me Dómine hyssópo, & mundábor: lavábis me, & super nivem dealbábor. *Psal.* Miserére mei Deus, secúndum magnam, &c. *ut supra, pag. 212. dicitur totus cum* Gloria Patri. *Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si verò non sunt aperta, circuit aspergendo funda-*

menta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente, O quàm metuéndus est locus iste, verè non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióśa dicta sunt de te : cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis : sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum : hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea : & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum : & príncipum horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium : habitátio est in te.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Antiph. O quàm metuéndus est locus iste, verè non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata; & repetitâ Antiphonâ, stans dicit,

Orémus. *Ministri*, Flectámus génua. ℟. Leváte.

OMnípotens & miséricors Deus, qui Sacerdótibus tuis tantam præ cæteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine dignè perfectéque ab eis ágitur, à te fíeri credátur : quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modò visitatúri sumus vísites, & quidquid benedictúri sumus bene✠dícas, sítque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

DEus, qui ex ómnium cohabitatióne Sanctórum ætérnum majestáti tuæ condis habitáculum, da ædificatióni tuæ increménta cæléstia, ut quod te jubénte fundátur, te largiénte perficiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

(*************************************)

RITUS
BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM,
seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

SAcerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum Sacrificium Missæ ritè celebretur, stola ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus & Clericis adhibitis, prælatâ Cruce mediâ inter duos Clericos deferentes cereos accensos, manè procedit ad primariam Ecclesiæ vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolutè Orationem,

ACtiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præ- véni, & adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam Aspérges me Dómine, &c. *& Clerus alternatim dicit Psalmum* Miserére mei Deus, *in fine* Glória Patri. *Interim circundant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua & nuda, & pariter altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio) & Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte & in fundamentis cum aqua benedicta aspergit, dicens,* Aspérges me Dómine hyssópo, & mundábor: lavábis me, &

ſuper nivem dealbábor. *Reverſi ad locum, unde proceſſio initium habuit, repetitâ Antiphonâ à Clero, Sacerdos ſtans ut priùs verſus Eccleſiam, dicit,*

Orémus. *& Miniſtri* Flectámus génua. ℟. Leváte.

DOmine Deus, qui licet cælo & terra non capiaris, domum tamen dignáris habére in terris, ubi nomen tuum júgiter invocétur, locum hunc, quæſumus, Beátæ Maríæ ſemper Vírginis, & Beáti N. omniúmque Sanctórum intercedéntibus méritis, seréno pietátis tuæ intúitu víſita, & per infuſiónem grátiæ tuæ ab omni inquinaménto puríſica, purificatúmque conſérva; & qui diléćti tui David devotiónem in fílii ſui Salomónis ópere complevíſti, in hoc ópere deſidéria noſtra perfícere dignéris; effugiántque omnes hinc nequítiæ ſpirituáles. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Qua finita Oratione, omnes bini in Eccleſiam intrantes, ad altare majus procedunt Litanias decantantes.

Ubi dictum fuerit, Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus audi nos.

Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit,

Ut hanc Eccléſiam & Altáre ad honórem tuum, & nomen Sancti tui N. purgáre & benedícere ✠ dignéris, Te rogámus audi nos. *Cùm dicit* benedicere, *manu dextera benedicit Eccleſiam & Altare, deinde ut priùs genuflectit, donec perficiantur Litaniæ, & Cantores ſequuntur,*

Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus audi nos.

Fili Dei, Te rogámus audi nos. Agnus Dei, &c.

Dicto ultimo Kyrie eléyſon, *Sacerdos ſtans dicit,*

Orémus. *Ministri* Flectámus génua. ℟. Leváte.

PRævéniat nos, quæsumus Dómine, misericórdia tua, & intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, voces nostras cleméntia tuæ propitiatiónis antícipet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum distans ab altari congruenti spatio genuflexus, & se signans dicit, Deus in adjutórium meum inténde, *& statim surgit Clero respondente*, Dómine ad adjuvándum me festína. *Ipse verò stans dicit*, Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. *Chorus respondet*, Sicut erat in princípio, &c. *Postea Sacerdos dicit*,

Orémus. *Ministri*, Flectámus génua. ℟. Leváte.

OMnípotens & miséricors Deus, qui Sacerdótibus tuis tantam præ cæteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine dignè perfectéque ab eis ágitur, à te fíeri credátur: quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modò visitatúri sumus vísites, & quidquid benedictúri sumus bene✠dícas; sítque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

His dictis inchoat Antiphonam, Bénedic Dómine domum istam nómini tuo ædificátam, *cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet*,

Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi, &c. *ut supra*, *pag.* 168. *& in fine* Glória Patri, &c.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, &c. *ut supra*, *pag.* 169. *& in fine* Glória Patri, &c.

Psalmus

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri : in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas : cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício : sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua : & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos : loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri : quæsívi bona tibi.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Ant. Bénedic Dómine domum istam nómini tuo ædificátã.

Interim aspergit interiùs parietes in parte superiori & inferiori, inchoans aspersionem à parte Evangelii, dicens, Aspérges me Dómine, &c. *tum ad altare reversus dicit,*

Orémus. *Ministri,* Flectámus génua. ℟. Leváte.

DEus, qui loca nómini tuo dicánda sanctíficas, effúnde super hanc oratiónis domum grátiam tuam, ut ab ómnibus hîc nomen tuum invocántibus auxílium tuæ misericórdiæ sentiátur. Per Dñm nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia verò, quamvis à simplici Sacerdote ut supra sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

(✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻)

RITUS RECONCILIANDI POLLUTAM Ecclesiam, nondum ab Episcopo consecratam.

Ecclesia triplici modo pollui potest: 1. ubi sanguis humanus per vim in ea funditur, sive ista effusio fiat per gravem percussionem, sive per homicidium; si tamen homicidium fiat sine sanguinis effusione, nihilominus polluetur Ecclesia: 2. ubi in ea committitur peccatum aut fornicationis, aut adulterii, aut mollitiei, si peccatum non sit occultum: 3. ubi in ea sepelitur aut infidelis, aut non baptizatus, aut hæreticus, aut excommunicatus nominatus.

Ecclesiæ igitur violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo. Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit liberè circumiri tam exteriùs, quàm interiùs, si fieri potest: paretur vasculum cum aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopi factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola & pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, ubi stans Antiphonam incipit dicens, Clero prosequente, Aspérges me Dómine hyssopo, & mundábor: lavábis me, & super nivem dealbábor. *Psal.* Miserére mei Deus, *totus cum* Glória Patri: *quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona & Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cœmeterium simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ad terram Cœmeterii, præsertim ad loca contaminata: quo facto, redit ad locum, ubi incœpit aspergere, & stans dicit,* OREMUS.

Omnípotens & miséricors Deus, qui Sacerdótibus tuis tantam præ cæteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine dignè perfectéque ab eis ágitur, à te fíeri

credátur; quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quod modò visitatúri sumus vísites, & quod benedictúri sumus bene✠dícas; sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Ecclesiam cum Clero cantando eas, acceditque ante altare majus, coram quo genuflectit, cumque dictum fuerit,

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, Te rogámus audi nos,

Sacerdos surgit, & clara voce dicit,

Ut hanc Ecclésiam, Altáre hoc, & Cœmetérium purgáre ✠ & reconciliáre dignéris, Te rogámus audi nos.

Quibus dictis rursus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur: quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum altare dicit,

Orémus. *& Ministri,* Flectámus génua. ℟. Leváte.

PRævéniat nos, quæsumus Dómine, misericórdia tua, & intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, voces nostras cleméntia tuæ propitiatiónis antícipet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante altare, & se signo crucis muniens clara voce dicit, Deus in adjutórium meum inténde. *Tum surgit, & Chorus seu astantes Clerici respondent,* Dómine ad adjuvándum me festína. *Et Sacerdos stans dicit,* Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. ℟. Sicut erat in princípio, &c.

Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam Exúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus, & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

Psalm.

IN Ecclésiis benedícite Deo Dómino: de fóntibus Israel.

Repetitur Antiphona Exúrgat.

Ibi Bénjamin adolescéntulus : in mentis excéssu.

Repetitur Antiphona.

Príncipes Juda, duces eórum : príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Repetitur Antiphona.

Manda Deus virtúti tuæ : confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

Repetitur Antiphona.

A templo sancto tuo in Jerúsalem : tibi ófferent reges múnera. *Repetitur Antiphona.*

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Repetitur Antiphona.

Díssipa gentes, quæ bella volunt, vénient legáti ex Ægypto : Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona.

Regna terræ cantáte Deo : psállite Dómino.

Repetitur Antiphona.

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli : ad oriéntem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israel : magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Repetitur Antiphona.

Mirábilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ : benedíctus Deus.

Et non dicitur Glória Patri, *sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona & Psalmus prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo, aspergit etiam specialiter loca contaminata ; quo facto, stans in Presbyterio versus ad altare dicit,*

OREMUS.

DEus, qui in omni loco dominatiónis tuæ clemens & benígnus purificátor afsíſtis, exáudi nos, quæſumus, & concéde, ut in pósterum inviolábilis hujus loci permáneat benedíctio, & tui múneris benefícia univérſitas fidélium, quæ ſúpplicat, percípere mereátur. Per Chriſtum, &c.

Deinde dicitur Miſſa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos, tantùm ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare; & tunc utatur ritu Pontificali præſcripto. Procedatque indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris, adhibitis ſecum aliis Presbyteris & Clericis ſuperpelliceis indutis, cum aqua ab Epiſcopo ad hunc uſum ritè benedicta.

****

RITUS BENEDICENDI NOVUM COEMETERIUM per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum.

PRidie quàm fiat benedictio, ponitur in medio Cœmeterio benedicendo lignea Crux alta ad ſtaturam hominis, & ante ipſam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus, altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die manè Sacerdos in ſacriſtia paratus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis ſuperpelliceis indutis, qui deferant vaſculum aquæ benedictæ, aſpergillum, & thuribulum cum incenſi navicula, & hoc Rituali libro, & tribus candelis cereis, procedit ad Cœmeterium benedicendum ante Crucem in medio poſitam, & affiguntur & accenduntur tres candelæ ſuper ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem & candelas ſtans diſcooperto capite dicit,

OREMUS.

OMnípotens Deus, qui es custos animárum, & tutéla salútis, fides credéntium, réspice propítius ad nostræ servitútis offícium, & ad intróitum nostrum purgétur ✠ benedicátur ✠ & sanctificétur ✠ hoc Cœmetérium, ut humána córpora hîc post vitæ cursum quiescéntia, in magno judícii die simul cum felícibus animábus mereántur adipísci vitæ perénnis gáudia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus; & cùm dictum fuerit, Ut ómnibus fidélibus defúnctis, &c. Te rogámus audi nos, *Sacerdos surgit, & clara voce dicit, producens manu signum Crucis,* Ut hoc Cœmetérium purgáre & benedícere ✠ dignéris, Te rogámus audi nos.

Deinde Sacerdos ut priùs genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aquâ benedictâ dicens Antiphonam, Aspérges me Dómine hyssópo, & mundábor: lavábis me, & super nivem dealbábor. *Psalm.* Miserére mei Deus, &c. *dicitur totus ab astantibus cum* Glória Patri, &c. *ut supra, pag. 212. quo dicto repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit & perambulat totum Cœmeterium incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aquâ benedictâ; quo facto, redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens dicit,*

OREMUS.

DEus, qui es totíus orbis cónditor, & humáni géneris redémptor, cunctarúmque creaturárum visibílium & invisibílium perféctus dispósitor, te súpplici voce ac puro corde expóscimus, ut hoc Cœmetérium, in quo famulórum famularúmque tuárum córpora quiéscere debent, post cur-

ricula hujus vitæ labéntia, purgáre ✠ benedícere ✠ & sanctificáre ✠ dignéris: quíque remissiónem ómnium peccatórum per tuam magnam misericórdiam in te confidéntibus præstitísti, corpóribus quoque eórum in hoc Cœmetério quiescéntibus, & tubam primi Archángeli expectántibus consolatiónem perpétuam lárgiter impartíre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis.

Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens aquâ benedictâ, redit cum Ministris in sacristiam.

****

RITUS RECONCILIANDI COEMETERIUM, quod solum pollutum fuerit.

Coemeterium eodem triplici modo pollui potest, quo Ecclesia, ut supra, pag. 326.

Mane diei, quâ facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus & Clericis indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco vestitus amictu, alba, cingulo, stola & pluviali albi coloris accedit ad medium Cœmeterii, Clerico vasculum aquæ benedictæ & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit unà cum Ministris, & Cantores aliique omnes genibus flexis dicunt Litanias; in quibus cùm dictum fuerit, Ut ómnibus fidélibus defúnctis, &c. Te rogámus audi nos, *Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cœmeterium, clarâ voce dicit,* Ut hoc Cœmetérium reconciliáre ✠ & sanctificáre dignéris, Te rogámus audi nos.

Quibus dictis, ut priùs genuflectit, Cantoribus Litanias perficien-

tibus : quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta inchoat Antiphonam, Aspérges me Dómine hyssópo, *Clero prosequente*, & mundábor : lavábis me, & super nivem dealbábor. *Psalm.* Miserére mei Deus, &c. *dicitur totus sine* Glória Patri. *In fine repetitur Antiphona* Aspérges. *Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aquâ benedictâ, præsertim in loco, ubi violatio commissa est : quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi stans dicit,*

Orémus. *Ministri*, Flectámus génua. ℟. Leváte.

DOmine pie, qui agrum fíguli prétio sánguinis tui in sepultúram peregrinórum comparári voluísti, quæsumus, dignánter reminíscere clementíssimi hujus mystérii tui. Tu es enim Dómine fígulus noster, tu quiétis nostræ ager, tu agri hujus prétium ; tu dedísti étiam & suscepísti ; tu de prétio tui vivífici sánguinis nos requiéscere donásti. Tu ergo, Dómine, qui es offensiónis nostræ clementíssimus indúltor, expectantíssimus judicátor, judícii tui superabundantíssimus miserátor, judícium tuæ justíssimæ severitátis abscóndens post miseratiónem tuæ piæ redemptiónis ; adésto exaudítor & effector nostræ reconciliatiónis, hócque Cœmetérium peregrinórum tuórum cæléstis pátriæ incolátum expectántium benígnus purífica & reconcília ; & hîc tumulatórum & tumulandórum córpora de poténtia & pietáte tuæ resurrectiónis ad glóriam incorruptiónis non damnans, sed gloríficans ressúscita. Qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

DE EXOR-

DE EXORCISMO, ET DE EXORCIZANDIS A DÆMONE OBSESSIS.



XORCISMUS est ceremonia, quâ utitur Ecclesia, ut per Ministros suos expellat dæmones tum ab hominibus, quorum corpora vel possident, vel vexant, vel exagitant, vel quorum sensus fascinant; tum ab aliis creaturis, quibus abutuntur.

Ut autem hæc ecclesiastica functio ritè, dignè & utiliter exerceatur, advertendum est quid requiratur, tum ex parte Ministri exorcizantis, tum ex parte loci & exorcismi, tum ex parte exorcizati.

Ex parte igitur Ministri multa requiruntur. 1. *Quamvis simplex exorcista habeat potestatem expellendi dæmones, usus tamen invaluit, ut hoc ministerium ad Sacerdotes reservetur, qui illud inconsulto D. Episcopo, vel ejus Vicario Generali exercere non debent.*

2. *Sacerdos exorcista eâ, quâ par est doctrina, ætate, prudentia, pietate, ac vitæ integritate ita sit præditus, ut sit irreprehensibilis, & ex parte sua effectui tam periculosi ministerii nullum obicem ponat.*

3. *Caveat Parochus, aliusve Sacerdos, ne facilè credat aliquem esse à dæmone possessum, obsessum, exagitatum, aut fascinatum: nam quædam sunt infirmitates aut dispositiones naturales in utroque sexu humano, & præcipuè fœmineo, quæ tantam cum dæmoniis habent conformitatem, ut vix dignosci possit, an sit opus naturæ, an dæmonis.*

4. *Ideo Sacerdos sedulò attendat ad signa, quibus Doctores hâc in*

re versatissimi, opus dæmonis ab opere naturæ dignoscunt. Hæc autem signa possessi aut obsessi à dæmone quinque vulgò assignant, scilicet ignota loqui, & intelligere: loqui per directionem, seu intelligere non loquentem, & respondere ejus cogitationibus directis: occulta & distantia patefacere: actus corporales supra naturam producere, aut vires supra naturam ostendere: habere quasdam sui corporis partes insensibiles.

5. *Advertat Sacerdos exorcista, ne nimium sit loquax, nimiumque curiosus in investigandis aut dæmonis operationibus, aut iis, quæ aguntur in possessis, sive in imaginatione, sive in sensibus corporeis, aut iis, quæ de se scit, cogitat, aut judicet dæmon; sed sit gravis & modestus. Caveat etiam, ne unquam dæmoni per os possessi sive vituperanti, sive laudanti, sive damnanti aut approbanti, sive minitanti, sive promittenti, fidem ullam adhibeat. Caveat quoque, ne facilè credat, dæmonem ab obsesso expulsum esse, ex eo quòd cesset à vexationibus & operationibus, ut inde cesset exorcizare. Aliquando enim obsessus vel possessus ita in corpore & anima quietus est, & ejus sensus & facultates corporis & animæ sunt liberæ, ita exercitia pietatis exequitur, ut omnino liberatus videatur: quæ omnia sunt sæpè fictio & fallacia, quibus nunquam est credendum, sed semper diffidendum.*

6. *Advertat Exorcista, præter exorcismos, potissima esse illa remedia, quibus usus est Christus, quæque dedit ad ejiciendos dæmones, jejunium scilicet, orationem, fidem, & humilitatem; ideò ad ea recurrat, & obsessos excitet, ut ad ea recurrant: sunt enim arma, quibus inimicus ille superbus vinci & ejici potest.*

7. *Cavere etiam debet, ne attendat risibus, nugis, ineptiis, & fascinationibus dæmonis, quæ potiùs contemnenda & negligenda sunt, quàm aspicienda, nec ipsi imperet quædam aut curiosa, aut inutilia. Poterit tamen illi imperare, ut taceat, & prudenter interrogare, quo*

nomine vocetur, quot sint spiritus, à quo tempore, & propter quam causam possideat, aut obsideat, & an detineatur in isto corpore propter aliquam magicam operam, malefica signa, vel instrumenta.

Ex parte verò loci, temporis & exorcismi attendat Exorcista, 1. Ecclesiam vel Oratorium esse loca ad exorcismum administrandum magis convenientia, modò tamen seorsim à populo administretur. Potest nihilominus justa de causa domi administrari; immò sæpè conveniens est.

2. Sciat Sacerdos tempus matutinum, præsertim post celebrationem Missæ, esse magis opportunum, tempusque nocturnum absque justa causa esse semper vitandum.

3. Attendat Exorcizans ad verba, quibus spiritus illi maligni aut magis contremiscant, aut magis torqueantur, aut obsessus magis commoveatur & pungatur, ut ea in fide, humilitate, & fervore repetat: & si quem tumorem aut aliquam violentam agitationem in corpore advertat, ibi modò faciat signum Crucis, modò aspergat aquâ benedictâ.

4. Habeat secum quemdam pium & prudentem Ecclesiasticum assistentem, assistentesque pias personas ejusdem sexus personæ exorcizandæ, quæ in occasionibus succurrere possint.

Ex parte denique obsessi ad multa attendat Exorcista. 1. Inducat eum, ut ante omnia ad exorcismum per jejunia & alia pœnitentiæ excercitia, per orationem, confessionem & communionem, prout corporis & animæ dispositio patietur, se præparet. Eum hortetur, ut sese colligat, ad Deum se convertat, & in fide nihil hæsitans postulet à Deo liberationem & salutem. Et dum vehementius vexabitur, nihil unquam de auxilio Dei omnipotentis diffidat, sed in omni patientia & fiducia perseveret.

2. Optimum est, ut possessus seu obsessus exorcizandus habeat ante se Crucifixum; illique aut ad pectus, aut ad caput aliquæ reveren-

ter applicentur Reliquiæ, nunquam verò sanctissima Eucharistia.

3. *Mulierem exorcizans secum, ut dictum est, habeat honestas & pias fœminas (si fieri potest, cognatione proximas) quæ obsessam exorcizandam teneant, illique in agitationibus inserviant, ut inde vitentur immodestiæ, quæ evenire possent.*

4. *Caveat Sacerdos exorcizans, ne nimium obsessis credat, qui illusiones & fascinationes dæmonis referunt, quasi essent revera tales; quamvis id totum referendum sit aut menti, aut imaginationi, aut fascinatis sensibus: sed optimum est, ut de his nihil judicet, obsessos ab omni judicio avertat, iisque consilia opportuna impartiatur.*

5. *Si per exorcismum liberetur obsessus, moneatur, ut à peccatis caveat, ne iterùm det locum dæmoni, & fiant novissima pejora prioribus.*

Itaque Sacerdos Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo & stola violacea, cujus extrema pars super obsessi caput ponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & astantes muniat signo Crucis, & aspergat aquâ benedictâ, & genibus flexis, alius respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad preces exclusivè. In fine Antiphona, Ne reminiscáris Dómine delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: & in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam alieni insurrexérunt advérsum me, & fortes quæsiérunt ánimam meam: & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi: & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, &c. Sicut erat in princípio, &c.

℣. Salvum fac servum tuum. (*Salvam fac ancíllam tuam.*)

℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Esto ei Dómine turris fortitúdinis.

℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil profíciat inimícus in eo. (*ea.*)

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto.

℟. Et de Sion tuére eum. (*eam.*)

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere, súscipe deprecatiónem nostram, ut hunc fámulum tuum quem (*hanc famulam tuam quam*) delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui illum réfugam tyránnum & apostátam gehénnæ ígnibus deputásti; quique

unigénitum tuum in hunc mundum misísti, ut illum rugiéntem contéreret, velóciter atténde & accélera, ut erípias hóminem ad imáginem & similitúdinem tuam creátum à ruína & dæmónio meridiáno. Da Dómine terrórem tuum super béstiam, quæ extérminat víneam tuam. Da fidúciam servis tuis ad pugnándum contra nequíssimum dracónem fortíssimè, ne contémnat sperántes in te, & ne dicat, sicut in Pharaóne, qui jam dixit, Deum non novi, nec Israel dimítto. Urgeat illum déxtera tua potens discédere à fámulo tuo N. (*fámula tua N.*) ✠ ne diútius præsúmat captívum (*captivam*) tenére, quem (*quam*) ad imáginem tuam creáre dignátus es, & Fílius tuus redémit, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

PRæcípio tibi, quicúnque es, spíritus immúnde, & ómnibus sóciis tuis hunc Dei fámulum (*hanc Dei fámulam*) obsidéntibus, ut per mystéria Incarnatiónis, Passiónis, Resurrectiónis & Ascensiónis Dómini nostri Jesu Christi, per missiónem Spíritus Sancti, & per advéntum ejúsdem Dómini nostri ad judícium, dicas mihi nomen tuum, diem & horam éxitus tui, cum aliquo signo; & mihi Dei minístro, licet indígno, prorsus in ómnibus obédias; neque hanc creatúram Dei, vel circumstántes, aut eórum bona ullo modo offéndas.

Deinde legantur super obsessum obsessamve hæc Evangelia, vel unum aut alterum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Hæc dicens signat se in fronte, ore & pectore, obsessum verò vel obsessam in fronte tantùm.

In princípio erat Verbum, &c. *ut supra pag. 17.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum. *Marc.* 16.

IN illo témpore, dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit : qui verò non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur. In nómine meo dæmónia ejícient, línguis loquéntur novis, serpéntes tollent, & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit ; super ægros manus impónent, & bene habébunt.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam. *Luc.* 10.

IN illo témpore, revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio dicéntes ad Jesum : Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis : Vidébam Sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes & scorpiónes, & super omnem virtútem inimíci, & nihil vobis nocébit : verúmtamen in hoc nolíte gaudére, quia spíritus vobis subjiciúntur ; gaudéte autem, quòd nómina vestra scrípta sunt in cælis.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam. *Luc.* 11.

IN illo témpore, erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum : & cùm ejecísset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixérunt : In Beélzebub príncipe dæmoniórum éjicit dæmónia. Et álii tentántes signum de cælo quærébant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitatiónes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divísum desolábitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sátanas in seípsum divísus est, quómodo stabit regnum ejus ? quia dícitis in Beélzebub me ejícere dæmónia. Si autem ego in Beélzebub ejício

dæmónia, fílii vestri in quo ejíciunt? ídeo ipsi júdices vestri erunt. Porro si in dígito Dei ejício dæmónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Cùm fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea quæ póssidet: si autem fórtior eo supervéniens vícerit eum, univérsa arma ejus áuferet in quibus confidébat, & spólia ejus distríbuet.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens Dómine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, qui sanctis Apóstolis tuis dedísti potestátem calcándi super serpéntes & scorpiónes, & super omnem virtútem inimíci; & cujus virtúte victus tanquam fulgur de cælo Sátanas cécidit; tuum sanctum nomen cum timóre & tremóre supplíciter déprecor, ut indigníssimo mihi servo tuo data vénia ómnium delictórum meórum, constántem fidem & potestátem donáre dignéris, ut hunc crudélem dæmonem, bráchii tui sancti munítus poténtia, fidénter & secúrus aggrédiar. Per te Jesu Christe, Dómine Deus noster, qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se & obsessum signo Crucis, posita extrema partè stolæ super caput ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter & magna cum fide dicat ea quæ sequuntur.

℣. Ecce Crucem Dómini, fúgite partes advérsæ.

℟. Vicit leo de tribu Juda, radix David.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vóbiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OREMUS.

DEus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, ínvoco nomen sanctum tuum, & cleméntiam tuam supplex expósco, ut advérsus hunc & omnem immúndum spíritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxílium præstáre dignéris. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

EXorcízo te, immundíssime spíritus, per Patrem ✠ & Fílium ✠ & Spíritum ✠ Sanctum, omne phantásma, omnis legio eradicáre & effugáre ab hoc plásmate Dei. ✠ Ipse enim tibi ímperat, qui te de supérnis cælórum in inferióra terræ demérgi præcépit. Ipse tibi ímperat, qui mari, ventis & tempestátibus imperávit. Audi ergo, & time Sátana, inimíce fídei, hostis géneris humáni, mortis addúctor, vitæ raptor, justítiæ declinátor, malórum radix, fomes vitiórum, sedúctor hóminum, próditor géntium, incitátor invídiæ, orígo avarítiæ, causa discórdiæ, excitátor dolórum. Quid stas, & resístis, cùm scias Christum Dóminum vires tuas pérdere? Illum métue, qui in Isaac immolátus est, in Jóseph venúndatus, in agno occísus, in hómine crucifíxus, deínde inférni triumphátor fuit. *Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi.* Recéde ergo in nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. Da locum Spirítui Sancto, per hoc signum ✠ Crucis Jesu Christi Dómini nostri, qui cum Patre & eódem Spíritu Sancto vivit & regnat Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DEus cónditor & defénſor géneris humáni, qui hóminem ad imáginem tuam formáſti, réſpice ſuper hunc fámulum tuum N. qui (*hanc fámulam tuam N. quæ*) dolis immúndi ſpíritus appétitur; quem (*quam*) vetus adverſárius, antíquus hoſtis terræ formídinis horróre circúmvolat, & ſenſum mentis humánæ ſtupóre defígit, terróre contúrbat, & metu trépidi timóris exágitat. Repélle Dómine virtútem diáboli, fallacéſque ejus inſídias ámove: procul ímpius tentátor aufúgiat. Sit nóminis tui ſigno ✠ (*in fronte*) fámulus tuus munítus (*fámula tua muníta*) & in ánima tutus (*tuta*) & córpore. *Tres ſequentes Cruces fiant in pectore dæmoniaci.* Tu péctoris ✠ hujus intérna cuſtódias. Tu víſcera ✠ regas. Tu ✠ cor confírmes. In ánima adverſatrícis poteſtátis tentaménta evanéſcant. Da Dómine ad hanc invocatiónem ſanctíſſimi nóminis tui grátiam, ut qui hucúſque terrébat, térritus aufúgiat, & victus abſcédat, tibíque poſſit hic fámulus tuus & corde firmátus, & mente ſincérus, (*hæc fámula tua & corde firmáta, & mente ſincéra*) débitum præbére famulátum. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

ADjúro te, ſerpens antíque, per júdicem vivórum & mortuórum, per factórem tuum, per factórem mundi, per eum, qui habet poteſtátem mitténdi te in gehénnam, ut ab hoc fámulo Dei N. qui (*ab hac fámula Dei N. quæ*) ad Eccléſiæ Dei ſinum recúrrit, feſtínus diſcédas. Adjúro te íterum ✠ (*in fronte*) non mea infirmitáte, ſed virtúte Spí-

ritus Sancti, ut éxeas ab hoc fámulo Dei N. quem (*ab hac fámula Dei N. quam*) omnípotens Deus ad imáginem suam fecit. Cede ígitur, cede non mihi, sed minístro Christi. Illíus enim te urget potéstas, qui te cruci suæ subjugávit. Illíus bráchium contremísce, qui devíctis gemítibus inférni ánimas ad lucem perdúxit. Sit tibi terror corpus hóminis ✠ (*in pectore*) sit tibi formído imágo Dei ✠ (*in fronte.*) Non resístas, nec moréris discédere ab hómine isto, quóniam complácuit Christo in hómine habitáre. Et ne contemnéndum putes, dum me peccatórem nimis esse cognóscis. Imperat tibi Deus ✠ Imperat tibi majéstas Christi ✠ Imperat tibi Deus Pater ✠ Imperat tibi Deus Fílius ✠ Imperat tibi Deus Spíritus Sanctus ✠ Imperat tibi Sacraméntum Crucis ✠ Imperat tibi fides sanctórum Apostolórum Petri & Pauli & cæterórum Sanctórum ✠ Imperat tibi Mártyrum sanguis ✠ Imperat tibi continéntia Confessórum ✠ Imperat tibi pia Sanctórum & Sanctárum ómnium intercéssio ✠ Imperat tibi Christiánæ fídei mysteriórum virtus ✠ Exi ergo transgréssor. Exi sedúctor, plene omni dolo & fallácia, virtútis inimíce, innocéntium persecútor. Da locum diríssime, da locum impiíssime, da locum Christo, in quo nihil inveníſti de opéribus tuis, qui te spoliávit, qui regnum tuum destrúxit, qui te victum ligávit, & vasa tua dirípuit, qui te projécit in ténebras exterióres, ubi tibi cum minístris tuis erit præparátus intéritus. Sed quid truculénte reníteris? quid temerárie detréctas? Reus es omnipoténti Deo, cujus mandáta transgréssus es. Reus es Fílio ejus Jesu Christo Dómino nostro, quem tentáre ausus es, & crucifígere præsumpsísti. Reus es humáno géneri, cui tuis persuasiónibus mortis venénum propinásti.

Adjúro ergo te, draco nequíssime, in nómine ✠ Agni immaculáti, qui ambulávit super áspidem & basilíscum, qui conculcávit leónem & dracónem, ut discédas ab hoc hómine ✠ (*fiat in fronte*) discédas ab Ecclésia Dei ✠ (*fiat signum Crucis super circumstantes*) Contremísce & effúge, invocáto nómine Dómini illíus, quem ínferi tremunt, cui Virtútes cælórum & Potestátes & Dominatiónes subjéctæ sunt; quem Chérubim & Séraphim indeféssis vócibus laudant dicéntes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Imperat tibi Verbum ✠ caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Vírgine. Imperat tibi Jesus ✠ Nazarénus. Qui te, cùm discípulos ejus contémneres, elísum atque prostrátum exíre præcépit ab hómine: quo præsénte, cùm te ab hómine separásset, nec porcórum gregem íngredi præsumébas. Recéde ergo nunc adjurátus in nómine ✠ ejus ab hómine, quem ipse plasmávit. Durum est tibi velle resístere. ✠ Durum est tibi contra stímulum calcitráre. ✠ Quia quanto tárdius exis, tanto magis tibi supplícium créscit, quia non hómines contémnis, sed illum, qui dominátur vivis & mortuis, qui ventúrus est judicáre vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Vírginum, Deus qui potestátem habes donándi vitam post mortem, réquiem post labórem, quia non est álius Deus præter te, nec esse póterit

verus, nisi tu creátor cæli & terræ, qui verus Rex es, & cujus regni non erit finis; humíliter majestátem glóriæ tuæ supplex déprecor, ut hunc fámulum tuum (*hanc fámulam tuam*) ab immúndis spirítibus liberáre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

ADjúro ergo te, omnis immundíssime spíritus, omne phantásma, omnis incúrsio sátanæ, in nómine Jesu Christi ✠ Nazaréni, qui post lavácrum Jordánis in desértum ductus est, & te in tuis sédibus vicit, ut quem ille de limo terræ ad honórem glóriæ suæ formávit, tu désinas impugnáre, & in hómine miserábili non humánam fragilitátem, sed imáginem omnipoténtis Dei contremíscas. Cede ergo Deo ✠ qui te & malítiam tuam in Pharaóne, & in exércitu ejus per Móysen servum suum in abyssum demérsit. Cede Deo ✠ qui te per fidelíssimum servum suum David de Rege Saüle spirituálibus cánticis pulsum fugávit. Cede Deo ✠ qui te in Juda Iscarióte proditóre damnávit. Ille enim te divínis ✠ verbéribus tangit, in cujus conspéctu cum tuis legiónibus tremens & clamans dixísti, Quid nobis & tibi Jesu Fili Dei altíssimi? venísti huc ante tempus torquére nos? Ille te perpétuis flammis urget, qui in fine témporum dictúrus est ímpiis, Discédite à me maledícti in ignem ætérnum, qui parátus est diábolo & ángelis ejus. Tibi enim ímpie & ángelis tuis vermes erunt, qui nunquam moriéntur. Tibi & ángelis tuis inextinguíbile præparátur incéndium, quia tu es princeps maledícti homicídii, tu auctor incéstus, tu sacrilegórum caput, tu actiónum pessimárum magíster, tu hæreticórum doctor, tu totíus obscænitátis invéntor. Exi ergo ✠ ímpie, exi ✠ sce-

lerâte, exi cum omni fallácia tua, quia hóminem templum suum esse vóluit Deus. Sed quid diútius moráris hîc? Da honórem Deo Patri omnipoténti ✠ cui omne genu flécti-tur. Da locum Dómino Jesu Christo ✠ qui pro hómine sánguinem suum sacratíssimum fudit. Da locum Spirítui ✠ Sancto, qui per beátum Apóstolum suum Petrum te maniféstè stravit in Simóne mago: qui falláciam tuam in Anánia & Sáphira condemnávit; qui te in Heróde Rege honórem Deo non danti percússit; qui te in mago Elima per Apóstolum suum Paulum cæcitátis calígine pérdidit, & per eúndem de Phytoníssa verbo ímperans exíre præcépit. Discéde ergo nunc ✠ discéde ✠ sedúctor. Tibi erémus sedes est. Tibi habitátio serpens est: humiliáre & prostér-nere. Jam non est differéndi tempus. Ecce enim dominátor Dóminus próximat cito, & ignis ardébit ante ipsum, & præcédet, & inflammábit in circúitu inimícos ejus. Si enim hóminem fefélleris, Deum non póteris irridére. Ille te éji-cit, cujus oculis nihil occúltum est. Ille te expéllit, cujus virtúti univérsa subjécta sunt. Ille te exclúdit, qui tibi & ángelis tuis præparávit ætérnam gehénnam, de cujus ore exíbit gládius acútus: qui ventúrus est judicáre vivos & mór-tuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.

Juvabit prӕterea plurimùm hӕc, quӕ infra notantur, super obsessum devotè dicere, sӕpeque repetere.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c. Credo, &c.

Canticum B. Mariӕ Virginis.

MAgníficat ánima mea Dóminum, &c. *ut supra, pag.* 173. *& in fine* Glória Patri, &c.

Canticum Zachariæ.

BEnedíctus Dóminus Deus Israel, &c. *ut supra, pag.* 221. *&* *in fine* Glória Patri, &c.

Symbolum Sancti Athanasii.

QUicúnque vult salvus esse: ante ómnia opus est, ut téneat Cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit: absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem Cathólica hæc est, ut unum Deum in Trinitáte: & Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas: neque substántiã separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii: ália Spíritus Sancti.

Sed Patris & Fílii & Spíritus Sancti una est divínitas: æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius: talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius: increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius: imménsus Spíritus Sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius: ætérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres ætérni: sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi: sed unus increátus, & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius: omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes: sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius: Deus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii: sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius: Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini : ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſigillátim unamquámque perſónam Deum ac Dóminum confitéri Chriſtiána veritáte compéllimur : ita tres Deos aut Dóminos dícere Catholica religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus : nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt : non factus, nec créatus, ſed génitus.

Spíritus Sanctus à Patre & Fílio : non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Fílius, non tres Fílii : unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus : ſed totæ tres perſónæ coætérnæ ſibi ſunt, & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, & únitas in Trinitáte : & Trínitas in unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe : ita de Trinitáte ſentiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem : ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur : quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia patris ante ſæcula genitus : & homo eſt ex ſubſtántia matris in ſæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : ex ánima rationáli & humána carne ſubsíſtens.

Æqualis Patri ſecúndùm divinitátem : minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licet Deus ſit & homo : non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem : sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non cófusióne substántiæ: sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo : ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos : tértia die resurréxit à mórtuis.

Ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis : & redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam : qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica : quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório altíssimi : in protectióne, &c. *ut supra, pag.* 275.

Psalmus 67.

EXúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus : & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei : & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : iter fácite ei, qui ascéndit super occásum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus : turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine: simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui: cum pertransíres in desérto.

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt à fácie Dei Sínai: à fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hereditáti tuæ, & infirmáta est: tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: parásti in dulcédine tua páuperi Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus: virtúte multa.

Rex virtútum diléčti diléčti: & speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ: & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: mons Dei, mons pínguis.

Mons coagulátus, mons pínguis: ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: Dóminus in eis, in Sina, in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: accepísti dona in homínibus.

Etenim non credéntes: inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi : & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum: vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus, Ex Baſan convértam : convértam in profúndum maris.

Ut intingátur pes tuus in ſánguine : lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingréſſus tuos Deus : ingréſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus : in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

In Eccléſiis benedícite Deo Dómino : de fóntibus Iſrael.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus : in mentis excéſſu.

Príncipes Juda, duces eórum : príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ : confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

A templo ſancto tuo in Jerúſalem : tibi ófferent reges (múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : ut exclúdant eos, qui probáti ſunt argénto.

Díſſipa gentes, quæ bella volunt, vénient legáti ex Ægypto : Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantáte Deo : pſállite Dómino.

Pſállite Deo, qui aſcéndit ſuper cælum cæli : ad oriéntem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis, date glóriam Deo ſuper Iſràel : magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael, ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ : benedíctus Deus.

Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde : Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur & revereántur : qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & erubéscant : qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes : qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes, qui quærunt te : & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus & pauper sum : Deus ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : Dómine ne moréris.

Glória Patri, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac, &c. *ut supra*, *pag.* 336.

Psalmus 117.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel, quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor : non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor : & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confidére in Dño : quàm confidére in hómine.

Bonum est speráre in Dño : quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me : & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis : & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus : & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis : in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me : déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam : & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dñs : & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino : hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me : & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes : hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dñs : exultémus & lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, ô Dómine bene prosperáre : benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : Deus Dóminus & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolénnem in condénſis : uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi : Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me : & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus : quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Pſalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes me : expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcutum : & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérſus eos qui perſequúntur me : dic ánimæ meæ, Salus tua ego ſum.

Confundántur & revereántur : quærêntes ánimam meam.

Avertántur retrórſum & confundántur : cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti : & ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum : & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui : ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat, & cáptio quam abſcóndit apprehéndat eum : & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino : & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent : Dómine, quis ſímilis tibi ?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : egénum &

páuperem à diripiéntibus eum.

Surgéntes teſtes iníqui : quæ ignorábã, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : ſterilitátẽ ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent : induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam : quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérſum me lætáti ſunt, & convenérunt : congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti, tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne : frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine quando reſpícies : reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Eccléſia magna : in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adverſántur mihi iníquè : qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur : & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum : dixérunt, Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti Dómine, ne síleas : Dómine ne diſcédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo : Deus meus & Dóminus meus in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam Dómine Deus meus : & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis, Euge, euge, ánimæ noſtræ : nec dicant, Devorávimus eum.

Erubéſcãt & revereántur ſimul : qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntia : qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam : & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi sui.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam : totâ die laudem tuam.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam : accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem & in domum refúgii : ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu : & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes : supervácuè.

Ego autem in Dómino sperávi : exultábo & lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam : salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor : conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniã defécit in dolóre vita mea: & anni mei in gemítibus.

Infirmata

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea : & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valde : & timor notis meis.

Qui vidébant me foras fugérunt à me : oblivióni datus ſum tanquam mórtuus à corde.

Factus ſum tanquam vas pérditum : quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent ſimul advérſum me : accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi Dómine : dixi, Deus meus es tu, in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum : & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericórdia tua : Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéſcant ímpii, & deducántur in inférnum : muta fiant lábia dolóſa.

Quæ loquúntur advérſus juſtum iniquitátem : in ſupérbia & in abuſióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine : quam abſcondíſti timéntibus te.

Perfecíſti eis qui ſperant in te : in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ : à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo:à cõtradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus : quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ : Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudíſti vocem oratiónis meæ : dum clamárē ad te.

Dilígite Dóminum omnes ſancti ejus : quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite & confortétur cor veſtrum : omnes qui ſperátis in Dómino.

Glória Patri, &c. Sicut erat in princípio, &c.

Pſalmus 21.

DEus Deus meus, réſpice in me, quare me dereliquíſti? longe à ſalúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exáudies : & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas : laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri : ſperavérunt & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt : in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo : oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me : locúti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxíſti me de ventre : ſpes mea ab ubéribus matris meæ, in te projéctus ſum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu : ne diſcéſſeris à me.

Quóniam tribulátio próxima eſt : quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum : ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum : & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liquéſcens : in médio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit fáucibus meis : & in púlverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos : dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me : diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meã miſérunt ſortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me : ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea Deus ánimam meam : & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : in médio Eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : univérſum ſemen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael : quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem ſuam à me : & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Eccléſia magna : vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & ſaturabúntur, & laudábunt Dóminum qui requírunt eum : vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dominum : univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus : univérſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum : & ipſe dominábitur gentium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ : in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annunciábitur Dómino generátio ventúra : & annunciábunt cæli juſtítiam ejus, pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c.

Pſalmus 3.

DOmine quid multiplicáti ſunt, qui tríbulant me, &c. *ut ſupra, pag.* 275.

Pſalmus 10.

IN Dómino confído, quómodo dícitis ánimæ meæ : Tranſmígra in montem ſicut paſſer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pharétra : ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecíſti deſtruxérunt : juſtus autem quid fecit ?

Dóminus in templo ſancto ſuo : Dóminus in cælo ſedes ejus.

Oculi ejus in páuperem reſpíciunt : pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium : qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos : ignis & ſulphur, & ſpíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus & justítias diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Glória Patri, & Fílio, &c.

Sicut erat in princípio, &c.

Psalmus 12.

USquequo Dómine oblivíscéris me in finem ? úsquequo avértis fáciem tuam à me ?

Quándiu ponam consília in ánima mea : dolórem in corde meo per diem ?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me ? réspice & exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte : nequándo dicat inimícus meus, præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt, si motus fúero : ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi : & psallam nómini Dómini altíssimi.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

Oratio post liberationem.

ORámus te Deus omnípotens, ut spíritus iniquitátis ámplius non hábeat potestátem in hoc fámulo tuo N. (*hac fámula tua N.*) sed ut fugiat, & non revertátur. Ingrediátur in eum (*eam*) Dómine, te jubénte, bónitas & pax Dómini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

EXORCISMUS CONTRA TEMPESTATES, qui fieri poteſt à Parocho, vel ejus Vicario, etiam ſine licentia D. Epiſcopi.

Cum proccelloſa aliqua imminebit tempeſtas, quæ turbido aëre, ac denſis undique nubibus circumfluentibus, agris aut arboribus, vel etiam ædificiis grande aliquod damnum minetur, pulſentur campanæ, & Sacerdos ſuperpelliceo ac ſtola violacei coloris indutus, aſtantibus duobus ſaltem Clericis, quorum vnus Crucem parvam, alter candelam accenſam & vas aquæ benedictæ deferat, in Eccleſia vel extra eam in loco honeſto dicat,

Per ſignum Cru✠cis, de inimícis ✠ noſtris líbera nos ✠ Deus noſter. In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. Amen. Credo in Deum, &c. *totum alta voce.*
Kyrie eléyſon. Chriſte eléyſon. Kyrie eléyſon.
Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Exúrgat Deus & diſſipéntur inimíci ejus.
℟. Et fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.
℣. Exúrge Chriſte ádjuva nos.
℟. Et líbera nos propter nomen tuum.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, qui fecíſti cælum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt, quique flúmini Jordáni benedixiſti, atque in eo baptizári voluíſti; & tuas ſanctíſſimas manus & bráchia ſacratíſſima in cruce ✠ extendíſti, quibus áërem ſanctificáſti; obſecrámus imménſam pietátis & bonitátis tuæ abundántiam, quátenus has nubes, quas vídeo áërem perturbáre, diſſólvere & annihiláre dignéris, ut alligáta potéſtas dæmonum ímpiè deſæviéntium, defíciat & turbétur ad laudem tui ſanctíſſimi nóminis & potentíſſimæ majeſtátis tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c.

Poſtea converſus ad nubes ſignat eas ſigno Crucis dicens,

Circúmdet te nubes Deus Pater ✠ circúmdet te Deus Fílius ✠ circúmdet te Deus Spíritus Sanctus ✠ Déſtruat te Deus Pater ✠ déſtruat te Deus Fílius ✠ déſtruat te Deus Spíritus Sanctus ✠ Cómprimat te Deus Pater ✠ cómprimat te Deus Fílius ✠ cómprimat te Deus Spíritus ✠ Sanctus. Amen.

OBSECRATIO.

SAnctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Joánnes Evangeliſta, qui Chriſti Evangélium per quátuor mundi partes divulgárunt, ipſi ſuis méritis & précibus hanc tempeſtátem ab his locis, & ab ómnibus Chriſtianórum fínibus ab eódem Dómino noſtro Jeſu Chriſto obtíneant effugári & depélli.

EXORCISMUS.

ET ego peccátor & Chriſti ſacérdos ſeu miníſter, licet indígnus, authoritáte & virtúte ejúſdem Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſummi imperatóris, non mea po-

téntia innixus & confísus, vobis præcípio, immundíssimi spíritus, qui has nubes seu nébulas concitátis, in virtúte ejúsdem Dei & Dómini nostri Jesu Christi ✠ per sanctíssimam ejúsdem incarnatiónem, per sanctam nativitátem, per baptísmum & jejúnium ipsíus, per ejus sacratíssimam crucem ✠ & passiónem, per sanctam resurrectiónem, per admirábilem ascensiónem, per treméndum advéntum ejus ac judícium, per mérita intemerátæ sempérque Vírginis Maríæ, & Sanctíssimi Elíæ, & per mérita ómnium Sanctórum; ut exeátis ab eis, & eas dispergátis in locis sylvéstribus & incúltis, quátenus nocére non possint homínibus, animálibus, frúctibus, herbis, arbóribus, aut quibuscúnque rebus humánis úsibus deputátis. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

IPse vobis ímperat, dæmones, qui has nubes commovétis, de quo de nube lúcida dictum est, hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ✠ Ipse vobis ímperat, qui sua sacratíssima cruce in ea córporis sui sanctíssimi extensióne áërem purgávit: ✠ Ipse vobis ímperat, qui per mortem suam vos, príncipem vestrum, mortémque devícit, & ligávit, atque ætérnæ gehénnæ mancipávit ígnibus: ✠ Ipse vobis ímperat, qui inférno spoliáto surréxit à mórtuis: ✠ Ipse vobis ímperat, qui post quadragínta dies nube suscéptus, virtúte sua ascéndit in cælum: ✠ Ipse vobis ímperat, qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Et postea elevat Crucem in aëra dicens,

Ecce lignum sanctíssimæ Crucis, fúgite partes advérsæ, vicit enim vos & mundum Dóminus noster Jesus Christus

Fílius

Fílius Dei, imperátor summus, leo de tribu Juda, radix David.

Postea aquâ benedictâ in modum Crucis ✠ *aspergat per quatuor partes. Dicendæ sunt etiam Litaniæ, si nondum quievit tempestas. Deinde Symbolum* Quicunque vult salvus esse, &c. *ut supra, pag.* 347. *Antiph.* Salve Regina, & Sub tuum præsidium. *Cantic.* Benedicite omnia opera, &c. *ut supra, pag.* 246. *cum versu* Gloria Patri, *in quolibet versu dicti Cantici. Deinde,*

℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula.
℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Exúrge Christe ádjuva nos.
℟. Et líbera nos propter nomen tuum.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, & in poténtia majestátis adoráre unitátem: quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis.

PRótege Dómine fámulos tuos subsídiis pacis, & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocínio confidéntes à cunctis hóstibus & perículis redde secúros.

A Domo tua, quæsumus Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur, & aëreárum discédat malígnitas tempestátum.

AD te Dómine clamántes exáudi, & aëris ſerenitátem nobis tríbue ſupplicántibus, ut poſt nóxios ignes núbium & vim procellárum, in miſericórdiæ tránſeat laudem comminátio tempeſtátum.

OMnípotens & miséricors Deus, qui nos & caſtigándo ſanas, & ignoſcéndo conſérvas, præſta ſupplícibus tuis, ut & tranquillitátis optátæ conſolatióne lætémur, & dono tuæ pietátis ſemper utámur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per omnia, &c.

Poſſunt addi & aliæ Orationes pro devotione Sacerdotis, & cum compunctione ac contritione cordis ſupradicta pluries repeti, prout expedire videbitur.

(✻✻)

EXORCISMUS CONTRA LOCUSTAS, Bruchos, & alia nociva animalia.

SAcerdos, ſtolâ violacei coloris ad collum impoſitâ, Crucem parvam in manibus geſtans, Miniſtro cum aqua benedicta & aſperſorio comitante, cùm primùm venerit ad locum, ubi ſunt locuſtæ, vel alia noxia animalia, dicat,

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.
℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

℣. Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui ad salútem humáni géneris máxima quæque Sacraménta in aquárum substántia condidísti, adésto propítius invocatiónibus nostris, & eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ benedi✠ctiónis infúnde, ut creatúra tua ista mystériis tuis sérviens ad abjiciéndos dæmones, morbósque pelléndos, divínæ grátiæ sumat efféctum, ut quicquid in agris, vel víneis, vel hortis, vel segétibus fidélium tuórum hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur à nóxiis animálibus, non illic resídeat spíritus péstilens. ℟. Amen.
℣. Non aura corrúmpens. ℟. Amen.
℣. Non bruchus aut tínea demóliens. ℟. Amen.
℣. Non locústa mordens. ℟. Amen.
℣. Non ventus urens. ℟. Amen.
℣. Non grando cónterens. ℟. Amen.
℣. Non tempéstas contúrbans. ℟. Amen.
℣. Non calor siccans. ℟. Amen.
℣. Non zizánium pertúrbans. ℟. Amen.
℣. Discédant ab ea omnes insídiæ laténtis inimíci, & si quid est quod aut incolumitáti ejus invídeat, aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat, atque discédat. ℟. Amen.

Postea aspergat agri illius terminos aqua benedicta, dicens Antiphonam Vidi aquam, &c. *vel* Asperges me, &c. *secundùm temporis diversitatem, ut supra, pag. 284. qua finita dicet,*

SIgnum ✠ salútis pone Dómine in frúctibus istis, & non permíttas introíre Angelum percutiéntem in eos, nec ánimal ullum nocívum.

DE cælo Dómine pone signum ✠ tuum in eis, & prótegat eos, & non erit in eis plaga nocens.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

EXáudi nos Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, & míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet & deféndat omnes fructus in his agris (*pomáriis*, *víneis*) existéntes.

DEus, qui famulórum tuórum Móysis & Aarónis ministério ab Ægyptiis pro glória nóminis tui locústas, bruchos, scíniphes, aliásque plagas, seu justítiæ tuæ in peccatóres flagélla avertísti, & à fíliis quoque Israel prohibuísti, à pópulo tuo in te credénte símiles calamitátes aufer, ut poténtiam tuam & beneficéntiam prædicémus.

PReces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exáudi, ut qui justè pro peccátis nostris afflígimur, & hanc animálium noxiórum calamitátem pátimur, pro tui nóminis glória ab ea misericórditer liberémur, ut per poténtiam tuam expúlsa nulli nóceant, & hos agros (*hortos*, *vineas*) intáctos (*intáctas*) dimíttant, quátenus quæ ex eis orta fúerint, tuæ majestáti desérviant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS DOMUS, QUÆ A SPIRITIBUS infeſtatur, per Sacerdotem delegatum ab Epiſcopo peragendus.

AD hujuſmodi exorciſmum delegato Sacerdoti prima cura eſſe debet, ut per confeſſionem & ſanctæ Euchariſtiæ perceptionem ſe devotè domeſtici omnes præparent, etiam indicto jejunio jejunare valentibus.

Deinde quæ ad hanc ceremoniam ſunt neceſſaria diſponantur, ſcilicet vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, faſciculus rutæ parietibus affigendæ, Crux lignea ſuper limina in ingreſſu appendenda, candelæ cereæ, ex quibus Cruces fiant, in angulis collocandæ, vaſculum olei benedicendi, cum ſtupa ſeu bombacio, quo loca inuncta abſtergantur; pulverizata aromata in cochleari, quo ſpargantur; ignis in aliquot pro magnitudine loci calefactoriis, & hic Ritualis liber, cum Pſalterio uno vel pluribus, unde Clerici circumſtantes Pſalmos præſcriptos recitent.

His paratis, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola violacea indutus, præcedente alio cum Cruce, & præferentibus cereos benedictos accenſos duobus Clericis, ſtet ſuper limina interioris domus dicens,

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Salvos fac ſervos tuos & ancíllas tuas.
℟. Deus meus ſperántes in te.
℣. Eſto eis Dómine turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil profíciat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.

℣. Exúrge Christe ádjuva nos.
℟. Et líbera nos propter nomen tuum.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Sacerdótibus tuis præ cæteris tantam grátiam conférre dignátus es, ut quidquid in tuo nómine piè suscéperint, & firma fide fúerint aggréssi, tu ipse probes & perfícias: quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quæcúnque hîc loca visitatúri sumus, tu ipse vísites, quæ benedictúri ✠ benedícas, & ad ea ómnia, quæ nunc sumus actúri, déxteram tuæ poténtiæ propítius exténdas, & ad nostræ fragilitátis ingréssum, Sanctórum tuórum précibus, domórum fiat egréssus, & Angeli pacis benígnus intróitus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Inde benedicat rutam parietibus cubiculorum, & præsertim loci vexati à spiritibus affigendam, modo infra dicto.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine Jesu Christe hanc creatúram rutæ, & infúnde ei per virtútem sanctæ Cru✠cis tuam ✠ benedictiónem cæléstem, ut qui ea munítus fúerit, vel super se eam habúerit, nullus ei inimícus nocére possit; & in quibuscúnque locis pósita fúerit vel portáta, ab eis contre-

míſcens diábolus diſcédat, & pávidus diffúgiat; & tuis creatúris illúdere, vel eárum quiétem turbáre non últerius præſúmat. Proínde ſúpplices te rogámus, Dómine, ut Angelum tuum Raphaélem míttere dignéris, qui olim dæmonem mortíferum à Sara & Tobía éxpulit & fugávit, ut illum dénuo à cunctis animábus Deum verum piè coléntibus, à léctulis, cubículis, cáveis, ſtábulis, & univérſis hujuſce domus locis, in quibus fidéles tui hábitant & requiéſcunt, vígilant & consíſtunt, procul ejíciat & extérminet, ne in illos aut pavóres immíttere, aut divexáre ullátenus váleat, quos tui ſancti Chríſmatis unctióne liníſti. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus, &c.

BEne✠díco te, creatúra rutæ, in nómine Patris ✠ & Fílii ejus unigéniti Dómini noſtri Jeſu ✠ Chriſti, & Spíritus ✠ Sancti, ut ſis diáboli & ómnium conſórtium ejus fuga & exterminátio. Per eum qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Tum ruta aſpergatur aquâ benedictâ, & affigatur parietibus ſingulorum locorum ad proceſſum & ingreſſum Sacerdotis & Clericorum, & aliorum fidelium preces fundentium.

Inde Sacerdos & omnes circumſtantes ſigno Crucis ✠ ſe munientes domum ingrediantur ordine ſervato, & altè ac diſtinctè recitare incipiant Pſalmos ſequentes.

Dómine ne in furóre tuo. *Pſal.* 6.
Dómine Deus meus in te ſperávi. *Pſal.* 7.
Deus Deus meus réſpice in me. *Pſal.* 21.
Dóminus illuminátio mea. *Pſal.* 26.
Beáti quórum remíſſæ ſunt iniquitátes. *Pſal.* 31.

Minuatur hîc & infra, vel augeatur numerus Pſalmorum pro anguſtia vel amplitudine loci, aut devotione Sacerdotis.

Dum recitantur dicti Psalmi, Sacerdos procedendo cuncta loca aspergat aqua benedicta; & ubi ad locum principalem pervenerit, magis scilicet & frequentiùs vexatum, deposita Cruce & cereis benedictis super mensa ibi ad hoc dispostita, incipiet,

Kyrie eléyson. Christe eléyson. Kyrie eléyson.
Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine.
℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.
℣. Circúmda Dómine domum istam.
℟. Et Angelis tuis servándam commítte.
℣. Salvos fac servos tuos & ancíllas tuas.
℟. Deus meus sperántes in te.
℣. Esto eis Dómine turris fortitúdinis.
℟. A fácie percutiéntis diáboli.
℣. Nihil profíciat malígnus inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

Visita, quæsumus Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui percutiéntes ángelos extérminent, & habitántes fidéles in pace custódiant, super quos tua bene✠díctio descéndat & máneat semper. Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos & sæculum per ignẽ. ℟. Amen.

Sacerdos aquâ benedictâ cuncta loca domus aspergat, præcedentibus luminaribus & Cruce: alii Ministri genibus flexis in loco principali, & magis vexato, dicant interea sequentes Psalmos.

Judica

Júdica Dómine nocéntes me. *Psal.* 34.
Miserére mei Deus, *Psal.* 50.
Deus áuribus nostris audívimus, *Psal.* 43.
De profúndis clamávi ad te Dómine, *Psal.* 129.
Dómine exáudi oratiónem meam, áuribus, *Psal.* 142.

Finita aspersione redeat Sacerdos ad locum principalem, & respondentibus circumstantibus dicat,

Kyrie eléyson. Christe eléyson. Kyrie eléyson.
Pater noster, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Convértere Dómine usquéquo.
℟. Et deprecábilis esto super servos tuos & ancíllas tuas.
℣. Muro tuo inexpugnábili domum istam circumcínge.
℟. Et armis tuæ poténtiæ semper prótege.
℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos.
℟. Quemádmodum sperávimus in te.
℣. Líbera nos Deus Israel.
℟. Ex ómnibus tribulatiónibus nostris.
℣. Dic Angelo percutiénti.
℟. Cesset jam manus tua.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, & hanc domum óculis tuæ pietátis illústra, ut fugátis tenebrárum ángelis, descéndat super habitántes in ea grátiæ tuæ larga bene✠díctio, ut in manufáctis habitáculis cum salubritáte manéntes, ipsi tuum semper sint habitáculum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, &c.

Iterùm Sacerdos aspergat cuncta loca domus, ut supra; interim Ministri vel circumstantes in loco principali dicant sequentes Psalmos.

Levávi óculos meos in montes, *Psal.* 120.

Ad te levávi óculos meos, *Psal.* 122.

Nisi quia Dóminus erat in nobis, *Psal.* 123.

Qui confídunt in Dómino, *Psal.* 124.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, *Psal.* 126.

Post aspersionem redeat Sacerdos ad locum principalem, & dicat,

Kyrie eléyson. Christe eléyson. Kyrie eléyson.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Mitte nobis Dómine auxílium de sancto.

℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Tuére Dómine domum & famíliam istam.

℟. Sicut domum David in ætérnum.

℣. Eripe nos à nequítia spirítuum immundórum.

℟. Sicut liberásti Tobíam ab Asmodæo.

℣. Líbera nos Deus Israel.

℟. Ex ómnibus tribulatiónibus nostris.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. OREMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, qui in omni loco dominatiónis tuæ præsens es, & operáris, ánnue supplicatiónibus nostris, & præsta, ut nihil hîc nequítia contráriæ potestátis váleat, nihil contra fidéles tuos fámulos moliátur; sed virtúte & operatióne Spíritus Sancti à dæmonis infestatióne liberáti, tibi grátiam & devótum præstent obséquium. Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Tertiò Sacerdos aſpergat cuncta loca domus, ut ſuprà. Interim Miniſtri vel aſtantes in loco principali genibus flexis recitent ſequentes Pſalmos.

Sæpè expugnavérunt, *Pſal.* 128.
Cùm invocárem, *Pſal.* 4.
In te Dómine ſperávi, *Pſal.* 30.
Qui hábitat in adjutório, *Pſal.* 90.
Ecce nunc benedícite, *Pſal.* 130.

Sacerdos peracta aſperſione ad locum principalem reverſus incipiat,

Kyrie eléyſon. Chriſte eléyſon. Kyrie eléyſon.
Pater noſter. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. De tribulatióne invocávi Dóminum.
℟. Et exaudívit me in latitúdine.
℣. Dóminus mihi adjútor.
℟. Et ego deſpíciam inimícos meos.
℣. Impúlſus evérſus ſum, ut cáderem.
℟. Et Dóminus ſuſcépit me.
℣. Dómine líbera nos à ſagítta volánte, à negótio perambulánte in ténebris.
℟. Líbera nos ab incúrſu & dæmónio meridiáno.
℣. Dómine non præváleat inimícus homo, & élide vires ejus.
℟. Sicut excúſſiſti Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es caput noſtrum, & coróna Sanctórum ómnium, réſpice quæſumus ſuper domum & famíliam iſtam; & in tuam tutélam ac cuſtódiam

ita súſcipe, ut fugátis & expúlſis ómnium dæmonum inſídiis, & in præſénti ſæculo ſecúra tibi grátias ágere, & in futúro in omne ſæculum beáta te laudáre mereátur. Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

His dictis, Sacerdos benedicat candelas cereas formula ſequenti,

℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína.

℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

℟. Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jeſu Chriſte, qui illúminas omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, effúnde benedi✠ctiónem tuam ſuper candélas, & ſanctí✠fica eas lúmine grátiæ tuæ: & ſicut igne viſíbili accénſæ noctúrnas repéllunt ténebras, ita tenebrárum poteſtátes & inférnos ſpíritus ex hoc habitáculo tuæ munímine virtútis exclúdant, ejuſdémque íncolas ab omni dæmonum incurſióne tutos & ſecúros reddant, quátenus in hac vita tibi quiéto & tranquíllo ſpíritu ſerviéntes, ad teípſum lucem indeficiéntem perveníre mereántur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c.

Ex dictis candelis fiant Cruces, & in angulis cubiculorum collocentur.

Poſtea Sacerdos Crucem ligneam benedicat in hunc modum,

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

OREMUS.

BEnedic ✠ Dómine hoc ſignum Crucis, & ſicut per eam eripuiſti mundum à poteſtáte dæmonum, ita hoc domicílium ab eórum insídiis ſerva : Sanctífica Dómine paſſiónis iſtud ſignáculum, ut hódie tuis inimícis in terrórem, tibi verò credéntibus in auxiliáre vexíllum erigátur : & in quocúnque loco fúerit collocátum, inde advérſas poteſtátes elíminet, ſanctóſque Angelos iſtíus loci & habitántium fidélium tutóres ac protectóres fortíſſimos immíttat.

Deinde benedicatur oleum ſequenti forma.

EXorcízo te, immundíſſime ſpíritus, omníſque incúrſio ſátanæ, & omne phantáſma, in nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti, ut recédas ab hoc óleo, ut poſſit éffici únctio ſpirituális ad protegéndam domum iſtam, ut in ea Spíritus Sanctus hábitet per nomen Dei Patris omnipoténtis, & per nomen dilectíſſimi Fílii ejus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Poſtea oleum aſpergatur aquâ benedictâ : deinde Crux ungatur illo oleo, & uncta appendatur ſuper limina januæ in ingreſſu domus, & interea dicatur,

Vexílla Regis pródeunt, &c.

Illo quoque oleo benedicto ungantur januæ & oſtia domus modo ſequenti.

PEr iſtam ſacroſánctam ólei unctiónem & benedictiónem ✠ ſuſcípiat Dóminus hujus domicílii cuſtódiam, & ita illud ſanctíficet & conſérvet, ut Dei fortitúdinis ſit tanquam ſignum ſcriptum in límine & óſtiis. In nómine Patris ✠ & Fílii ✠ & Spíritus ✠ Sancti. Amen.

Reverſus Sacerdos ad locum principalem dicat,

OREMUS.

EXáudi nos Dómine ſancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, ut ſicut domos Hebræórum in éxitu de Ægypto Agni ſánguine linítas ab Angelo percutiénte custodíſti, ita mittere dignéris ſanctum Angelum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, viſitet atque deféndat domum hanc, & habitántes in ea, in virtúte ſánguinis veri Agni Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, Per ómnia, &c.

OREMUS.

OMnípotens ſempitérne Deus, cunctárum benedictiónum largítor magníficus, béne✠dic domum iſtam, ut ſit domus divíni hoſpítii, domus pacis, benedictiónis & conſolatiónis, domus meditatiónis & protectiónis; ſit domus ſupra firmam petram ædificáta, ſit tanquam cívitas & domus David ſtabílita coram Dómino. Conſérva in ætérnum hoc domicílium, quod à ſpirítibus immúndis nunc ut miniſter tuus pur✠go, mun✠do, ſanctí✠fico benedícens, bene✠díco ſanctíficans. Egrediátur fons de ſólio tuo ſuper domum iſtam, ut irrigétur miſericórdia tua, & dic Angelo percutiénti, Ceſſet jam manus tua. Appáreat majéſtas tua & ſanctí✠ficet hoc habitáculum, & ponat manum ſuam hîc in ſempitérnum, & ſint óculi ejus & cor ejus hîc cunctis diébus ſicut ſuper ædifícium domus Salomónis. Et ſexagínta ex fortiſſimis Dei poténtes, omnes tenéntes gládios, & ad bella doctiſſimi circúmſtent, & contra ángelos pacem & quiétem incoléntium perturbántes pugnent & expúgnent. Per eum qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Sumantur aromata pulverizata, & benedicantur formula ſequenti.

EXorcízo te, creatúra incénsi, *vel* myrrhæ, *vel* N. per Deum Patrem omnipoténtem, qui fecit cælum & terram, & ómnia quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, omnísque incúrsio, omne phantásma sátanæ eradicétur & effugétur, ut fiat fumus tuus terror omnis adversáriæ potestátis, & tutéla domicílii hujus & habitántium in ea per Spíritum Sanctum. In nómine Patris ✠ omnipoténtis, & Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, qui cum eo vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritus ✠ Sancti Deus, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tunc aspergantur aromata aquâ benedictâ, & inde Sacerdos incipiat dicere in loco principaliori,

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Inítium sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

℟. Glória tibi Dómine.

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. *ut supra. pag.* 17.

Finito Evangelio, imponantur aromata igni in calefactoriis incluso, dicendo,

SIcut ego Dei minístér ímpleo domum hanc fumo arómatum, sic repleátur majestáte & glória Dómini, ut sit habitáculum firmíssimum tanquam sólium Dei in sempitérnum: & omnes habitántes in ea adórent & laudent eum, quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Item in altero cubiculo.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

℟. Glória tibi Dómine.

CUm ergo natus esset Jesus in Béthleem Judæ, &c. *in Missali, die Epiphaniæ Domini.*

Imponuntur aromata igni, dicendo,

Et ascéndit fumus incensórum de manu Angeli coram Deo; & accépit Angelus thuríbulum áureum, & implévit illud de igne altáris, & misit in terram, & facta sunt tonítrua, & voces, & fúlgura, & terræ motus magnus.

Item in alio loco, si plura sint.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndùm Lucam.

℟. Glória tibi Dómine.

ET ingréssus Jesus perambulábat Hiéricho, &c. *in Missali, in festo Dedicationis.*

Aromata imponuntur igni, dicendo,

Totus mons Sínai fumábat, eo quòd descendísset Dóminus Deus super eum in igne, & ascéndit fumus ex eo quasi de fornáce.

Item in alio cubiculo vel loco.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

℟. Glória tibi Dómine.

NOvíssimè autem recumbéntibus illis úndecim appáruit Jesus, & exprobrávit incredulitátem eórum & durítiam cordis, quia his, qui víderant eum resurrexísse, non credíderant. Et dixit eis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit: qui verò non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægrótos manus impónent, & bene habébunt. Et Dóminus Jesus postquam locútus est eis, assúmptus est in

est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profécti, prædicavérunt úbique Dómino cooperánte sequéntibus signis.

Aromata imponuntur igni, dicendo,

Implétum est templum Dei fumo à majestáte Dei: & de virtúte ejus éxiit fumus éxtricans omne genus dæmoniórum.

Si plura loca, repetantur superiora Evangelia, & aromata incendantur modo supradicto.

His peractis, Sacerdos benedicat omnes habitatores domus genua flectentes in loco principali.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Fratres charíssimi. ℟. Deo grátias.

MAnéte pacífici in domo vestra, & cor vestrum sit jucúndum. Det vobis réquiem Dóminus & pacem, & consolatiónem úndique ab univérsis inimícis vestris. Apériat Dóminus thesáurum suum, & abundáre fáciat vos ómnibus bonis, sicut abundáre fecit pópulum Israel perseverántem in mandátis suis. Bene✠dícat vos Deus de throno suo stantes, ambulántes, dormiéntes, vigilántes: Et família vestra vígeat usque ad tértiam & quartam generatiónem, & omne consílium cordis vestri sua virtúte corróboret, & domus vestra in sanctificatióne permáneat, & grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cháritas Dei, & communicátio Spíritus Sancti descéndat super vos, & máneat semper vobíscum ✠ ℟. Amen.

Aspergat omnes domesticos præsentes aquâ benedictâ. Quoniam res agitur cum hoste protervo & obstinato, supradicta repetenda toties quoties, donec loco excesserit.

DE MISSA PAROCHIALI.

1. PER Missam Parochialem omnes vulgò intelligunt Christianorum conventum, singulis præcipuè diebus Dominicis & Festivis sub uno Pastore Hierarchico in templo publico habitum, ut divinorum mysteriorum sint participes. Hic conventus aliquando à Conciliis & Patribus vocatur conventus sacerdotalis, aliquando synaxis, aliquando collectio.

2. Huic conventui singulis diebus Dominicis & majoribus Festivitatibus quisque Christianus in Ecclesia Parochiali tenetur adesse, Missamque integram audire: ita ut qui per tres dies Dominicos immediatè subsequentes Missæ Parochiali sine legitima excusatione non interfuerit (etiam Missæ in alia Ecclesia adfuerit) vix à gravi peccato excusari poterit. Quòd si nominatim aut etiam generatim monitus adesse renuerit, poterit ex Concil. Trid. sess. 22. à D. Episcopo, aut ejus Officiariis per censuras Ecclesiasticas compelli.

3. Missam Parochialem horâ à D. Episcopo in suis statutis præscriptâ, non verò ad libitum tenetur celebrare Parochus, & curare, ut ad eam per campanarum sonitum horâ convenienti populus convocetur.

4. In Missa Parochiali multa sunt, quæ non in aliis Missis etiam solennibus aguntur, Aqua scilicet benedicta, Processio, Oblatio, Panis benedictus, & Pronaum, quæ singula aliquantulum explicare non est dissonum. De aqua & pane benedictis dictum est priùs, pag. 280. & 285.

5. Processio ea est, quæ fit ante Missam, præcedente Cruce, se-

quente Clero preces ab Ecclesia præscriptas cantante, sequentibus denique populis modestè & devotè procedentibus, ita ut, quantum fieri potest, bini viri, binæ mulieres incedant. Processiones autem seu supplicationes ad cultum publicum Deo exhibendum, peregrinationes Christi commemorandas & honorandas, gratias pro beneficiis acceptis agendas, novaque beneficia à Deo obtinenda, & populum ad devotionem excitandum institutæ sunt.

6. *Oblatio, quæ fit ante oblationem panis & vini, fit per osculum patenæ, aut alterius instrumenti cum oblatione argenti, aut alterius rei, quæ sit ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, Templorum reparationem, ac ornamentorum restaurationem utilis.*

7. *Per hanc oblationem quilibet Christianus se suaque à Deo proficisci protestatur, seque velle de sua persona & de suis propriis eum ut supremum Dominum agnoscere; se petere à Deo, ut super se suaque benedictionem effundat. Protestatur denique se suaque velle cum Christo Domino in sacrificio Missæ immolando, offerri Deo in sacrificium laudis & honoris, peccatorum expiationem, & gratiarum impetrationem.*

DE PRONAO.

PRonaum propriè est ille sermo, seu instructio familiaris, quam in sacrificio Missæ post Evangelium ad populum habet Parochus, & quatuor continere debet.

1. *Complectitur preces publicas, quas cum genuflexo populo pro omnibus Ecclesiæ ordinibus Sacerdos fundit, præcipuè pro Papa, pro D. Episcopo, pro Christianissimo Rege nostro & Principibus ejus, pro Domino Parochiæ, pro benefactoribus, pro vivis & defunctis,*

omnibusque necessitatibus Ecclesiæ spiritualibus & temporalibus, pro fructibus terræ, &c.

2. Continet instructiones, quas populis impertire tenetur Parochus, præcipuè super Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, præcepta Dei & Ecclesiæ, Sacramenta, ceremonias sacras, & quatuor ultimos fines hominis; quibus adjungat instructiones morales super Evangelia & Epistolas Missæ, ut per has instructiones addiscat populus, quæ sibi ad salutem sunt credenda, quomodo Deum suum colere teneatur, quas & quomodo virtutes exercere, quæ & quomodo vitia fugere valeat. Quibus instructionibus ita assiduus erit Parochus, ut ab his singulis diebus Dominicis & solennioribus Festis, juxta Concilii Tridentini decretum, non abstineat, alioquin se oneri suo pastorali minùs satisfacere intelligat. Nec se excusatum existimet, eo quòd dono aut memoriæ, aut scientiæ, aut linguæ non sit præditus, sed potiùs se à beneficio suo possidendo excusatum reputet; horum quippe donorum defectus eum ejusmodi beneficii possidendi indignum reddit, sicuti & obtinendi reddidit.

3. Continere debet quædam monita populo annuncianda. Monita autem illa vel sunt ordinaria, vel sunt extraordinaria. Ordinaria sunt publicatio Festorum de præcepto, Processionum, jejuniorum aut abstinentiarum à carnibus, Indulgentiarum, anniversariorum & fundationum tam pro vivis, quàm pro defunctis, &c. Extraordinaria sunt bannorum publicatio tam pro Ordinandis, quàm matrimonio conjungendis, & publicatio omnium statutorum & mandatorum tum D. Episcopi, tum ejus Officiariorum. His adjungere poterit Parochus ea omnia monita, quæ ad politiam Christianam populo suo salutaria judicaverit. Caveat verò Parochus, ne quid profanum publicet, ut populus à rerum divinarum meditatione non avertatur. Ea tamen negotia, quæ jussu Regio promulganda sunt, breviter quoad substantiam proponat, cætera post Missam per se aut alium explicaturus.

4. Complecti debet censuras promulgandas, tum ab homine, ut sunt Monitoria; tum à jure, ut sunt illæ, quæ in fine Pronai continentur. Verùm videat Parochus, *ne publicando Monitoria designet directè aut indirectè malefactores, aut veritatem reticentes, nisi illa Monitoria contra malefactores decreta sint nominatim.*

(✻✻)

PRONAUM PRO DIEBUS DOMINICIS.

PArochus, aut alius ejus nomine Sacerdos, finito primo Missæ Evangelio, exuit casulam & manipulum, albam verò & stolam retinet, & præcedente Clerico hunc librum tenente, ad cathedram pergit; aut si alius sit Sacerdos quàm celebrans, induet superpelliceum & stolam coloris diei, & signando se signo Crucis dicet, In nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. *Deinde cooperto capite, intelligibili voce leget quæ sequuntur.*

PEuple Chrêtien, le jour du Dimanche étant particuliérement consacré à honorer Dieu, l'Eglise nous ordonne de nous assembler en ce saint lieu, pour rendre nos devoirs à sa divine Majesté, luy offrir par les mains des Prêtres le tres-saint sacrifice du Corps & du Sang de notre Seigneur Jesus-Christ son Fils, sous les espéces du pain & du vin, afin que par ce divin sacrifice nous luy rendions hommage, comme à notre souverain Createur & Seigneur; nous luy rendions graces des biens que nous avons reçûs de sa divine bonté; comme aussi pour luy demander pardon de nos pechez, & obtenir de luy les graces qui nous sont necessaires pour vivre chrêtiennement, & parvenir à la gloire éternelle.

Et afin d'obtenir ces faveurs, nous devons nous humilier devant sa divine Majesté, nous reconnoître indigne de ses graces; le prier incessamment, qu'il luy plaise nous pardonner nos pechez, & luy demander la grace d'en faire penitence, protestans que nous avons beaucoup de douleur de les avoir commis, parce qu'ils luy déplaisent, & que nous sommes résolus de vouloir plutost mourir, que de l'offenser à l'avenir.

Nous devons donc nous unir tous ensemble, & dans un cœur contrit & humilié offrir avec ce divin sacrifice de l'Autel nos prieres à Dieu, pour luy demander par les merites de son Fils notre Seigneur, toutes les graces dont nous avons besoin, non seulement dans cette journée, mais dans tout le cours de notre vie. Et pour cet effet,

Nous le prierons pour tous les besoins de l'Eglise, & particuliérement pour la conversion des Infidelles, Hérétiques & Schismatiques, afin que son saint nom soit connû & adoré par toute la terre, & que tous l'honorent & le servent dans une vraye foy. Comme aussi pour tous les Fideles Chrêtiens qui sont en état de grace, afin qu'il luy plaise les y maintenir; & pour ceux qui sont en peché mortel, afin qu'il leur donne la grace d'en faire une vraye penitence.

Nous prierons pour tous les Prelats & Pasteurs de l'Eglise, particuliérement pour notre Saint Pere le Pape, pour Monseigneur notre Evêque, afin qu'ils puissent se conduire, eux & leurs peuples dans les voyes de salut, & arriver enfin à la vie éternelle.

Nous prierons pour la paix & tranquillité de ce Royaume, pour l'union des Princes Chrêtiens, & particuliére-

ment pour le Roy notre *Sire*, pour la Reine, pour toute la Maiſon Royale, pour les Princes & Magiſtrats de ce Royaume, & pour le Seigneur (*ou la Dame*) de ce lieu, afin qu'ils rendent ſervice à Dieu, qu'ils nous gouvernent ſelon ſes loix & celles de ſon Egliſe, & de cet Etat.

Nous prierons pour les bienfacteurs de cette Egliſe, particuliérement ceux qui offrent aujourd'huy le Pain beni, qui ont donné de leurs biens pour orner & entretenir cette Egliſe, afin que Dieu leur en donne récompenſe dans ce monde & dans l'autre.

Nous prierons pour les femmes veuves, orphelins, pauvres, malades, priſonniers, captifs, & autres perſonnes affligées, afin que notre Seigneur les veüille conſoler, ou leur donner patience dans leurs peines : comme auſſi pour les femmes enceintes, afin qu'il plaiſe à Dieu les délivrer, & que leurs enfans reçoivent le Baptême.

Nous prierons pour tous nos parens, & pour tous nos amis abſens, & qui ſont en voyage, qu'il plaiſe à Dieu les preſerver de toutes ſortes de dangers, & les ramener dans leurs maiſons en joye & en ſanté.

Finalement nous prierons pour la diſpoſition du temps, qu'il plaiſe à Dieu nous la donner propre pour la ſanté de nos corps, & pour la production & conſervation des fruits de la terre, afin que les ayant cueillis dans la ſaiſon, nous en puiſſions uſer à ſon honneur, & aſſiſter les pauvres dans leurs neceſſités.

Pour toutes ces choſes, & generalement pour tous nos beſoins, & pour toutes les intentions de l'Egliſe, nous allons offrir le ſaint ſacrifice de la Meſſe, & nous dirons auſſi les prieres ſuivantes, pendant que vous direz *Pater* & *Ave*.

Deinde surgit, & aperto capite ad altare conversus dicit,

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam: in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus: confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes: quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, &c. Sicut erat in princípio, &c.

℣. Salvos fac servos tuos & ancíllas tuas.

℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Fiat pax in virtúte tua.

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

